[illegible]

[illegible] [illegible]

[illegible]

Comitiologia Hungarica Sempronienſis.

Hoc eſt,

REGIA INAUGURATIO

AUGUSTÆ IMPERATRICIS

ELEONORÆ MAGDALENÆ TERESIÆ.

Cum ſuccincta recenſione eorum, quæ Sempronij Comitiorum tempore uſq; ad finem Anni M. DC. LXXXI. acta, & Articulis conditis tranſacta ſunt.

AD DIVUM

LEOPOLDUM IMP. AUGUSTUM, PIUM, FELICEM, PATREM PATRIÆ.

Scripſit

Suæ Majeſtatis Aulæ Secretarius
JOANNES PROBST.

Vindobonæ, Anno M. DC. LXXXII.

PETRUS de REVVA, Comes Turocienſis Comment. de Sacra Corona Regni Hungariæ *pag.* 71.

CHriſtianorum, me Chriſte, ſimultates, nunquam non promovent Turcarum utilitates, eſtq; diſcordia noſtra ipſiſsimum furoris Turcarum, & nutrimentum & potentiæ augmentum. Equidem cum duobus modis ſoleant homines ſententiam in melius mutare, vel propriis calamitatibus edocti, vel cladium alienarum exemplo admoniti. Opto ex animo, ut jam tandem malis noſtris eruditi, vel deinceps reddamur cautiores. Sed vereor, ne vetuſtiſsima hæc fabula, ſurdis, quod ajunt, narretur. Adeo enim quorundam vindictæ cupiditas levi de cauſa concepta, occupavit ac inflammavit animos, ut perire cum illis quos oderunt, quam ſervare patriam cui nati ſumus, cupiant: & malint contumaciam cum pernicie, quam obſequium cum ſecuritate.

SACRA CÆSAREA Regiaq; Majeſtas,

Domine Clementiſſime,

IMperium Dij TIBI dederunt DOMINE, mihi inter MAJESTATIS TUÆ adoratores minimo, obſequij gloriam affectare relictum: quod ambiendi genus ex ſe ho-

neſtum, & muneris mei ratio injungit. Precibus Pannoniæ Procerum permota juſſit MAJESTAS TUA, ut REGIA Inauguratio AUGUSTÆ IMPERATRICIS in Comitiis Hungaricis Sempronij, feliciſſimo auſpicio peracta, calamo meo deſcripta poſteritati conſecraretur. Annuiſti porro DOMINE, ut pro captu mediocritatis integram Comitiorum ſeriem, eadem narratione comprehenſam traderem. Apertus itaq; mihi fuit campus, & ſcribendi ſeges ampliſſima, quam ſuggerebat negotiatio prolixa & ardua, quæ quò evaſura eſſet, ancipiti ſpe, & pellucido ſatis livore, ſuſpenſas tenuit in Europa omnium mentes. Adeo impar rerum moli ingenium viriumq; mearum imbecillitas, deprecandi & excuſandi anſam ſuppeditare poterant. Attamen ſtationem deſerere in qua

MA-

MAJESTATIS TUÆ benignitas me collocavit, mandatiq́; religionem effugere, piaculum fore arbitratus ſum. Unica me fovet & certa fiducia, experta ſcilicet MAJESTATIS TUÆ CLEMENTIA AUSTRIACA, quam Orbis ſuſpicit, clientuli æternum deprædicabunt. In hac mihi aſylum circumſpexi, ſi temeritatis arguar, ſi errorum accuſator diem lapſanti dicat. Multa me latuerunt, multa proterve quæſita dictaq́; ſilentio involvere, modeſtiæ ratio juſſit. Summa duntaxat rerum capita perſequor, ex quibus abunde liquet, quænam mitis ac Divina indoles TUÆ MAJESTATIS, blanda & acceptabilia exulceratis animis fomenta adhibuerit, ut pax & tranquillitas in ſolido locaret, Pannoniæ civium ſalutem & fortunas. Multiplices actus, DOMINE, non unum

Gordium nodum, infinitas certe queri-
moniarum tricas, tolerare, explicare,
ſuperare, voluiſti & potuiſti, ea qua,
IMPERATOREM decet magnani-
mitate. Utinam humi ſerpens eloquu-
tio mea, ad rerum faſtigium aſſurge-
ret, ut Herculei TUÆ MAJESTA-
TIS exantlati labores, orbi innoteſ-
cerent. Manifeſte profecto deprehen-
derent, maligni quamvis conſiliorum
interpretes, nihil reliquum feciſſe MA-
JESTATEM TUAM ex ijs, quæ
ad quietem Hungariæ conciliandam,
idonea eſſe potuerunt. Quoties, quan-
toquè paterni amoris conatu, contu-
maces à pervicacia exilij revocare, &
in communis Patriæ corpus, ſinumquè
TUUM congregare volueris; nolen-
tes & inviti confiteantur neceſſum eſt.
Lenitatem TUAM DOMINE, ſe-
ra etiam agnoſcet & celebrabit grata
poſte-

poſteritas, ſi temporis noſtri corruptela, & perverſi hominum ſenſus, pro crudelitate habere pergant, repugnantes beneficio afficere. Ego Panegyricum non molior; manet apud omnes bonos TUAM MAJESTATEM veræ laudis gloria, PANNONIÆ SERVATÆ: Qui inſimul diris devovent peregrinum aurum, quod ſeditioſis motibus pabulum ſubminiſtrat. Hoc & ſubſequens ſæculum (ſi ob improbitatem mortalium aliquod futurum ſit) perpetua ignominiæ nota mactabit, flagitioſas eorum artes, qui dominandi libidine correpti, ut orbis imperium rapiant, aliorum quietem per inſidiarum cuniculos prohibent, quibus felix facinus, aliena contra fas gentium invadendi, in queſtu & laude eſt hactenus. Aſperitatem rerum hominumquè tacere, aut verbis lenire non poſſum, ne

peccem in ſacroſanctam veritatem. Id verò maxime deprecandum mihi eſt, quod ſub auſpicatiſſimo nominis TUI patrocinio, DOMINE, hoc ſchediaſma palam prodeat. Audaciæ, ſupplex obſecro, non imputetur, quòd pia devotiſſimaquè mente hanc Tabulam quaſi æternæ monumentum gratitudinis & obſequij, TUÆ MAJESTATI ET BENIGNITATI publice appendam; cum nuper ſanctioribus Sacri Imperij negotijs tractandis, calamum fidemquè meam imposterum adhibere clementer dignatus ſis. Beneficij & gratiæ magnitudinem, in curta quæ domi eſt mihi ſuppellectile, haud alio thure, quam fida induſtria colere ac venerari licet. Votum ſaltem fidelium Hungarorum indies nuncupo, ut CÆSAR & DOMINE CLEMENTISSIME

PRIN-

PRINCEPS NOSTER, quo meliorem mitioremquè nulla ætas tulit, diutiſſime vivas! feliciſſime regnes! ſemper hoſtes TUOS noſtroſquè vincas & triumphes! nec ad Cœlum unde ortus es, revertaris, niſi prius Succeſſorem Imperij & Regnorum, Sereniſſimum Filium Archiducem JOSEPHUM Coronis redimitum, ætatis & gloriæ ſatur, conſpexeris.

SAC. CÆS. REGIÆQUE
MAJESTATIS TUÆ

devotiſſimus & ſubjectiſſimus
ſervus

Joannes Probſt.

L. B. S.

IN ea ſervati ſumus tempora, L. B. quæ vera rerum vocabula pridem amiſerunt. Qui patriam, qui Imperium evertere moliuntur, libertatem præferunt: illam ubi everterint, aut hoc in ſe traxerint, libertatem ipſam aggrediuntur. Hinc faſcinata rudior plebs, minutis tyrannionibus, qui in turbido capturam exercent, lubentius quam legitimo Imperio adhæret. Sanctus Numinis cultus hodie in obtentum rapitur, ut ipſa pietas & religio profanata & conculcata, in exilium mittatur. Proinde paucis te rogatum volo, qui paginas haſce perluſtraturus es, ne animum opinionibus ægrum tecum adferas. Nuperam rerum Pannonicarum memoriam evolventi, ſtatim ſeſe offerunt ſcriptores, è Germanorum

præcipue numero, qui labem veritati inferri parvi duxerunt, dummodo pro libidine & cupiditate ſua, mutationem ſacrorum orbi perſuaderent; Catholicos autem in odium & invidiam traherent. Fallebantur partium ſtudio occæcati, & alios fefellerunt. Paßim illos criminari audias, quòd templis reddita ſint avita ſacra, ſacris Sacerdotes, Sacerdotibus ſecuritas. Hic utriuſq; partis argumenta ſine gratia & odio traduntur, ad integre nec obnixe judicandum. Affatim conſtabit ſpero, SAC. CÆS. MAJESTATEM *id ſategiſſe, ut quiſquè ſuis juribus tranquille frueretur. Nequè tamen minutias Comitiorum Sempronienſium à me exſpectes: Omnia enim ultro citroquè dicta vel facta commemorare, hominis eſſet intemperanter abutentis otio legentium; ſufficit ad noſtrum ſcopum rerum faſtigia perſequi. In titulorum ampullis parciorem me, forte aliquis incuſet. Sed hæc inania verborum, olim incognita, cum novo pruritu inoleverint, vanaſquè ſolùm mentes titillent, nequè menſura honorum in*

mea

mea manu ſit, veniam mihi datum iri confido, ab ijs quorum hic mentio facta. Lubens enim profiteor, quòd orationem ad antiquitatis indolem conformare ſtuduerim: Perinde verò haud neglexi, recentioribus quoquè verbis publici ſaporis, veteri licet Latio inſolentibus, uti. Adeò arida ſcholarum præcepta, & plebis literatoriæ cenſuram haud moror. Id ſaltem deprecor Viros Magnos, quorum ſermones exprimere conabar, ne indignentur, ſi pro gravitate & pondere dicentium, ſenſa ipſorum non ſatis compte nitidequè aſſequutus ſum.

Memo-

MEmoraturus Auguſtæ Imperatricis ELEONORÆ MAGDALENÆ inaugurationem, quæ Sempronij in publicis Regni Comitijs nuper peracta fuit: haud moleſtum legentibus fore arbitror, ſi rei habitum ſeriemq; paulò altius repetam. Ignotum equidem nemini eſt, gliſcentes ab annis aliquot in Pannonia machinationes, primorum quorundam nece extinctas fuiſſe. Attamen ex illorum quaſi cineribus, nova tumultuum ſcintilla provolavit, quæ procellæ inſtar, atroci incendio inclytum Regnum corripuit: Poſtquam libertatem & religionem, ſolenne illud turbarum claſſicum, inclamavêreērociter, quibus ex novis rebus, & in turbido ſpes hæſerat. Pannones, avitæ prœmium fortitudinis libertatem ſuam jactant, eámque vindicare & aſſerere ſublatis etiam fulgentibus ſignis, ex vetuſto ipſorumet Regum indultu, jus fáſque ſibi eſſe autumant; abominandâ alioquin

 quin

quin in Reges exempli audaciâ. Adeò libertatis in licentiam perverſa degeneratio in proclivi, & ardua illius moderatio eſt. Nimirum gens ab antiquo in arma & bellum nata, pugnis læta exſultat, otium execratur.

Occaſio virtutem oſtendendi, & manus conſerendi cum internecino ac finitimo hoſte, licet præ foribus ſit: eam tamen ſæpius inſitâ ferocia, etiam domi ac in ipſis patriæ viſceribus quæſitam fuiſſe, patet, ſi elapſa præſentiaque tempora contendamus. Nunc verò lugenda magis ſors ipſorum Hungariæ civium occurrit, qui omnia ſerviliter pro libertate agere & tentare aggreſſi ſunt. Acciti videlicet in partes & armorum conſortium vicini & peregrini, imò & barbari, Auſtriacæ magnitudinis æmuli & hoſtes; pacem & modeſtiam reſpuentibus, ſuppeditata auxilia, præbita clam palamve ſtipendia, ut Hungari ab obſequio pij & æquiſſimi LEOPOLDI Cæſaris, ac legum reverentia avulſi, cum Chriſtiani nominis dedecore, nefandæ Turcarum ſocietati & ſervituti manciparentur.

Ne igitur pervicax ſeditio patriam, Clerum univerſum, plurimóſque Magnates & Regni Primores, tum Status ac Ordines in fide ac obſequio coſtantes, impune laceſſeret; ne pars civium ſincera quoque contaminaretur, ferrum ſtringendum,

dum, arma armis opponenda fuerunt, immiſſo ex Germanis milite; qui inſoleſcentem adverſus Regem & mitiſſimum Dominum, ſubditorum improbitatem, repelleret.

Non minus ut refractarij ab imminente exitio revocarentur, quos nunc levitas, nunc egeſtas & graſſandi libido, transverſos egerat, adhibita in Novozolienſi conventu, juſta modeſtiæ ac quietis fomenta. Detecta fucatæ petulantiæ larva, ut legibus obtemperantes, fortitudinem potiùs patriæ uſibus commodarent, vicini inſidiantis compedes amolirentur; certò ruituris in totam ſervitutem, qui moderatam libertatem reſpuerent. Oſtenſum illis, ſacra profanáque violata hactenus, patriæ vaſtitatem civium manibus potiſſimum inuſtam. Fœda facinorum memoria ut aboleretur, oblivionis lex ſancita, promulgata, at eodem temeritatis furore ſpreta & illuſa fuit.

Ferale diſcidium, quin Auguſtiſſimus Imperator LEOPOLDUS præſentiâ ſuâ quamprimùm obrueret, penitúſque tolleret: populari lue prohibitus, ad Bohemos Pragam conceſſerat: Inde Auſtriam repetens, cum contagionis periculum deſævijſſet, Lincij propinquiorem tranquillitatis medelam turbis Hungaricis adferre decrevit. Idcirco univerſalia Comitia cunctis incluti Regni Statibus,

precibus & ſuaſionibus fidelium Regni Hungariæ Conſiliariorum permotus, indixit; Pariterque ſpontè ſua Exulibus, tuta hybernorum hoſpitia paternè indulſit, ut graſſationibus abſtinentes, animum ad quietem componere adſueſcerent.

Poſtquam igitur deſtinatis Poſonium in Hungariam Germanis Conſiliarijs, neceſſarius negotionum apparatus, ad Congreſſum hunc ſolennem eſſet formatus; Cæſar Viennam redux, protinus cum Regni Proceribus, cætera quoque in rem viſa præſens conſtituit. Ad conciliandum Pannoniæ quietem & concordiam, dicatum conventui fuerat Sempronium (Civitas Regia, à Sempronia nobiliſſima Romanorum colonia, juxta Bonfinium appellata) & ſpem dederat Cæſar, ſe propediem illuc venturum, ut Comitia ritè exordiretur. Interea Statuum & Ordinum Regni, cæterorúmque evocatorum ingens numerus, militari plerúmque Magnatum pompa, ex vetuſto Martiæ gentis uſu, illuc confluxerat, qui anxie adventum Sacræ Cæſareæ Regiæquè Majeſtatis præſtolabantur. Imperator itaque Vienna movens, cum Auguſta & ſplendido Comitatu Aulico die XIX. Menſis Maij, Neapolim Auſtriæ pervenit, ubi bidui mora facta, iter ad Pannones ingreſſus eſt. Alluit Neapolis ſuburbanum agrum Leita fluvius,

Au-

Auſtriámque ab Hungaria dividit, hunc ponte ſuperans Cæſar, Antiſtitum, Magnatum, Nobilium, & liberarum Regni Civitatum obvios habuit delectos. Hi Regem ſuum ſupplici cultu cum veneratí eſſent, nomine reliquorum Epiſcopus Novienſis NICOLAUS BALOGHUS dixit:

Solem, ob non interruptum quotidianum luminis uſum, atque rerum generationi impertientem vim, priſcorum ſuperſtitione pro Numine adoratum fuiſſe. Ne videlicet curſum mutando, unâ orbis plagâ, perpetuis brumæ tenebris damnatâ, aliam viciſſim nimio æſtu adureret. Inſtar Solis revera in terris Reges ac Principes fulgere, qui præſentia ſua ſubjectas ditiones fovent, ac reduces è diſſitis regionibus refocillant: Itaque citra temeritatis notam, ut tutelare Numen colendos. Hungariam cum ab annis aliquot, abſentis Auguſtiſſimi LEOPOLDI radijs haud illuſtraretur, externo metu ſqualidam,

& civilibus feſſam dicordijs , eorum nunc fatum implere, qui in extremo Septentrione ſemeſtralibus obruti nivibus, accensâ rurſum cœleſti face, lætantur & exultant. Quotquot Pannonum ſunt, ſibi nunc maximè gratulari, quod Majeſtatem Domini ſui contueri, & benignitatem ejuſdem experiri liceat. Se nomine cunctorum civium hodie votum nuncupare, ut auſpicatiſſimus Majeſtatis Regiæ adventus, ad pacandæ patriæ felicitatem ſtabiliendam vergat. Cæterum ſe incompto ſermone id nolle committere, ut populares reliqui expectato pridem Regis ac Domini lætiſſimo conſpectu, perfruantur tardiùs. Supereſſe tantùm ut Majeſtas Regia fideles æternúmq; devotos Pannones, qui in campis Semproniensibus in occurſum effuſi ſint, clemen-

mentiſſimo nutu recreare & beare dignetur.

AUGUSTISSIMUS IMPERATOR confeſtim reſpondebat: (non enim eſt ex eorum numero Principum, qui aliena egent facundia, ſed apprimè callet artem qua verba expendimus) Lætum ſibi hunc illuxiſſe diem, quo inclutum Hungariæ Regnum inviſere datum, chariſſimóſq; ſubditos gratiâ & paternâ ſollicitudine coram complecti. Jam dudum id deſtinaſſe, ſed exortas toties tempeſtatum iniquitates, obſtacula poſuiſſe. Nunc verò maximè ſe curaturum, ut fidelibus ſubjectis operam quoque navantibus, omnes & ſinguli publicæ privatæq; felicitatis debitores ſe profiteantur.

Delecti dextram Cæſaris liberaliter porrectam, oſculo preſſerunt, ac gaudio adfecti ad ſuos ſtatim remeârunt, inſignem Auguſti Domini lenitatem nuntiaturi.

A latere relinquebatur Caſtrum munitiſſimum Fracnum,loco ſat eminenti conſpicuum; qui huic dominatur,ditionis Regni antemontanæ Dux Generalis Comes Paulus Eſterhazius, belli machinarum boatu, Jovem tonantem imitaturus, in auſpicium itineris fortiter applauſit.

Prandium in pago Matterſtorff Aulæ præparatum, Cæſarem quoq; detinuit. Iter autem promoventibus, in collibus, & per valles, equitum loricatorum legiones Caroli Palfy, & Leopoldi Montecucoli Comitum ſe oſtentabant, lento agmine præcedentes, uſque ad locum congreſſui deſignatum. Hic altero ab urbe Sempronio lapide, multa planicies explicandis militibus apta, in qua Mansfeldiana peditum Legio, aliquot æneis belli machinis inſtructa, jam collocata erat. Cùm ex hujus latere equites prædicti, pariter in aciem diſponerentur, & Hungarorum agmina ex adverſa fronte in collium radice conſtitiſſent; non amicæ concionis, ſed Campi Martii habitum, illis hic locus referre viſus, qui Pannonici moris ignari ſunt. Armorum enim illi alumni, concilia olim ſua, Rakos dicta, in campis Budenſibus, vel Peſthanis non niſi armati inierunt, Sic D. Maximilianus II. Cæſar ex Boëmis, Moravis, Sileſijs, Luſatis, Auſtriacis, juſto quaſi exercitu collecto (in quo armatus populus Vien-

Viennenſis, Conſule ſuo ductore, Legione peditum emicuit) Poſonium ad Comitia progreſſus, diademate Regni inauguratus fuit. Patrio itáque ritu tota campi facies in acie erat, illuſtri ſpectaculo: Quanquam ex remotioribus Regni Provincijs, copias adducere, moniti Proceres abſtinuiſſent.

Illic diſtincta equorum generoſorum familia; pompatici, bellatorij, calcitrones, mordaces, ſternaces, ruffi, gilbi, candidi, maculati, nigrini; ſellis, ſubicibus, antillis, poſtillis, frontalibus, habenis, gemmis, auro, & aureis bullis refulgentibus, ſplendidíſque ſtragulis perornati. In turmis Pannonum Centuriones ductoreſque, frameis, acinacibus, ſcutis, ancilibus, armiſque pretioſo lapide nobilioríque metallò excultis, nitebant. Equitum vulgus decore torvum, ſagulis more patrio, & militem decente, indutum, inſtructum haſtis, lanceíſque cum fluitantibus vexillis brevioribus, vel enſibus falcatis, pulcherrimè horrebat. Perſonabat campus, lituorum, tubarum tympanorúmque clangore, & ſtrepitu perquàm jucundo.

CÆSAR cum AUGUSTA in ſtationem hanc devectus, ad lævam deflexit, ut Hungaros ſuos propinquior lætanter luſtraret. Pontificum, Maximatum, Nobilium, Delectorumque corona, inter utramque aciem conſiſtens, avide Dominum ſuum

præſtolabatur. Tentoria illic erecta ut nubium, verticibus apertè minantium, injuriæ arcerentur; & quamvis Phæbo propitio ſerenus aër duraret, Cæſar cum Auguſta, curru & lectica exſcendentes, & totum cætum in pedes conjectum ſibi obvium videntes, cum eo tabernaculum ſibi paratum ſubiere. Tunc loco Metropolitani Strigonienſis ætate imbecilli, præſentis tamen, inſtar omnium, Antiſtes Jaurinenſis Archiepiſcopus Colocenſis GEORGIUS SCHECHENIUS hujuſcemodi orationem habuit:

Auguſtiſſime Cæſar, Rex Sereniſſime, & Domine Clementiſſime. Magnopere gaviſi ſunt Cives mei, cum de incolumitate auſpicatóque Majeſtatis Tuæ, & Auguſtæ Conjugis in patriam noſtram acceſſu, nuncium audirent. Cernis hic Domine, Hungariæ eíq; annexorum Regnorum Senatum, ex ordinum patriæ claſſibus collectum, & Tuo juſſu adunatum. Adſtant avito more militum copiæ, ſigna Regia ſequuturæ: Exiguus equidem manipulus, ſi majorum

rum exercitus, vires, & robur belli reſpiciamus. Ingreſſus quippè es Regnum, olim incolarum numero firmum, omnibus fortunæ dotibus abundans, fortitudine civium ſuorum ab externo metu tutum, foris rerum geſtarum fama clariſſimum. Verum nunc proh dolor! lacerum diſceptúmque, non tantum ab Ottomannis tot Regnorum prædonibus, ſed ſi dicere fas eſt, ipſorum Pannonum furore, heri & hodie funeſtum. At verè cum popularium meorum vultus, hilaritatis plenos deprehendam, lætus quoq; fidelium Majeſtatis Tuæ ſubditorum interpres ſim oportet. Gaudent omnes & ſinguli, de oblato ſibi ſolatij, & novi ſplendoris argumento luculentiſſimo, quod exoptata Tua præſentia, Rex Clementiſſime, nobis pollicetur. Supplices in

conſpectum Tibi obviam proceſſimus, & gratulatione ſubmiſſa gratias agimus, quod ſepoſitis pauliſper alijs Imperij negotijs, Pannoniam noſtram afflictam inviſere, & recreare volueris. Magnis tempeſtatum procellis obnoxij, quaſſatâ Republicâ noſtrâ, vix non ſubmerſi, & everſi fuimus. Nunc, cum Te Domine præſentem habemus, ad Caput Bonæ Spei nobis appuliſſe videmur, ac poſt varios caſus, & tot diſcrimina rerum, in ſinum Tuum tanquam ad tutiſſimum portum confugimus, atq; lætioris fortunæ auram opperimur. Admitte ſaltem benignè, qui humili obſequio omnia ſua, vitam, facultates, ſanguinem, arbitrio Tuo permittunt, & in fidelitatis pignus conſignant. Quemadmodum Majorum Noſtrorum ſalus, & felicitas fuit, tanquam ad

ſacram

ſacram anchoram, in Auſtriacorum Principum, tutelam & dominium conceſſiſſe: Ita Divorum deceſſorum Tuorum, Domine, clementia fuit, & unica Auſtriorum perpetua gloria adhuc eſt, Hungariam ab exitio toties eripuiſſe. Nimirum quòd aræ, foci, nóſque omnes ſuperſtites & ſoſpites ſimus, Turcicam contra rabiem, id Auſtriacorum Cæſarum, ac Regum noſtrorum, incredibili curæ, fauſtíſque ſucceſſibus, grati referimus. Macte igitur Domine juxta morem Majorum, Caroli V. & Ferdinandorum fortitudinem ſapientiamque, Maximiliani, & Rudolphi ſolertiam, Matthiæ dexteritatem & induſtriam, Pannoniam à vicino, & truculento hoſte, tutam & liberam præſtes, Tibi Tuæq; propagini ſerves. Diſtracti procaci licentia civium animi ſunt,

qui ad libertatem proclamârunt, quæ ſanè nullibi major, quàm ſub legitimo Regis Imperio reperiunda eſt. Miſcuiſti hactenus Rex Clementiſſime, res diſſociabiles libertatem & Principatum: Augeas nunc fortunam noſtram, Auguſtiſſime Imperator, atque ad ſaniorem mentem revoca, qui lymphatorum inſtar, libertatis aſſertionem præferunt, ut publicam privatámque rem invadant, rapiant, hac everſa, ipſam libertatem aggreſſuri. Tardiora quidem ſunt remedia quam mala, præcipuè quod in odijs civilibus indomitæ mentes, haud facilè miteſcant. Sed divina mens Tua, Rex Clementiſſime, conſilio & induſtria conſulere omnibus noverit. Adeò non ſpem modo & votum, ſarciendæ tranquillitatis publicæ concipio, ſed ipſius voti fiduciam & robur,

pa-

patriæ ſcilicet beatiora tempora, oculis jam inhærere puto. Credite idem populares mei, & vos inclyti Regni Ordines, nam Optimum Dominum & Patrem Patriæ LEOPOLDUM habemus, & hoc verborum compendio omnia vobis dixi.

AUGUSTISSIMUS LEOPOLDUS Imperatoria brevitate reſpondit: Inclyti Regni Hungariæ Status & Ordines, fideles & dilecti ſubditi; Gratiſſimus mihi hodie accidit veſter conſpectus, ſingulorum erga me officia acceptiſſima. Faxit D. O. M. ut congreſſus noſter auſpicatus, in Patriæ emolumentum vergat. Ego majorum veſtigijs inſiſtens, nihil priùs, nihil antiquius habui, quàm ut Hungaricum meum Regnum, à fraude, ac vi hoſtium, ſalvum tutúmq; redderem. Nunc etiam maximè operam dabo, ut per Comitiorum tractatus,

tus, publica ſalus & ſecuritas, tum privatorum commoda, ritè promoveantur. In veſtris quoque, Status & Ordines, fidelibus ac ſinceris ſtudijs, eam fiduciam colloco, quod idem labore impigro agere & curare velitis, prouti ſubditorum obſequium, & patriæ charitas à pijs civibus expoſcit. Cæterum perſuaſi ſitis, quod Cæſarea Regiâquè gratiâ, vos omnes & ſingulos proſequi non deſinam.

His dictis poſtquam cuncti dextræ CÆSARIS venerabundum poſuiſſent oſculum, ille equum conſcendit, & AUGUSTA in ſellam geſtatoriam recepta: Jucundo ſpectaculo contemplantes incedentium agmen, quod præeuntibus binis Hungaris, ab Agaſonum Magiſtro nominatis, Supremus Aulæ Cæſareæ Metator Pramerus duxit. Sequuti ſunt Comites Petrus Seczius cum duabus, Antonius Palſius II. Franciſcus Eſterhaſius III. & Nicolaus Draſcovicius iterum III. cum turmis. Ubi verò diſceptatum, inter Paulum Eſterhaſium, & Criſtophorum Botthianium Comites,

tes, quis potiori loco haberetur? Juſſit SACRA CÆSAREA MAJESTAS ut horum copiæ alternatim pergerent. Vidimus idcircò primò unas, deinde ternas utriúſque Comitis turmas, per viciſſitudinem ductas, quas poſtremo Eſterhaſiana ad corporis cuſtodiam Comiti lecta, nobiliſſima turma, cum equis ſpectatiſſimis, Cæſari magis propinqua ſequebatur. Porrò Procerum ephebi, & familiares Aulici. Equiſo dein Cæſareus X. equos pompaticos ducens, & poſt hoſce tubicines, ac tympaniſta Cæſareæ Majeſtatis. Tum nobiles utriúſque gentis præcipui, & Cubicularij Cæſaris, ordine promiſcuo. Demum Conſiliarij intimi, & Miniſtri conſpiciebantur. Supremum Stabuli Præfectum Comitem Ferdinandum Harrachium, SAC. CÆS. REGIAQUE MAJESTAS equo inſidens, & AUGUSTA in ſella portatili ſequutæ ſunt. Pone hanc Princeps, & Comes Dietrichſteinij, hic Supremus Cæſaris Cubicularius, ille Aulæ Auguſtæ Præfectus Supremus, & Comes Franciſcus Mansfeldius ſtipatorum cohortis Præfectus, una equitabant. Franciſcus Auguſtinus Comes Waldſteinius, ſatellitij equeſtris turmam ipſe duxit: quam currus Cæſaris vacuus excepit. Poſtremò loco Gynecæum aliquot rhedis vectum. Tandem eques Germanus agmen concluſit. Archipræſul

Strigonienſis cum per valetudinem equum nec conſcendere, nec regere poſſet, una cum reliquo Præſulum numero, iter urbem verſus curru antevertit.

Mox ubi Cæſar Sempronio appropinquaſſet, auditæ ex urbis propugnaculis machinarum tonitruationes, æríſque campani ſonitus. In præurbij porta Conſul Civitatis cum collegis, Cæſarem prætergradientem ſalutavit, obtulitque claves, quas Cæſar benignè reſpondens, ipſi reliquit. Aliquot civium vexillationes, per compita diſtributæ conſiſtebant: Præſidium in urbe excubiáſque, Mansfeldianæ Legionis pedes agebat: Turmæ autem Hungarorum, ſtatim dimiſſæ domum properavêre. Interea præter opinionem veſpera jam ingraveſcente, lucis uſura à facibus accenſis mutuanda fuit. In urbe Cæſar primò templum Cœnobij S. Franciſci Sodalium intravit, ubi juxta Hymnum Ambroſianum DEO ſolenniter gratias actæ, & alterum lætitiæ ſignum diſploſis bellicis tormentis editum. Repetitum idem, cum Cæſar præparatum è regione Palatium ſubiret.

Inſequens dies quieti datus, quarta autem & vigeſima Maij, vocati pridie in Aulam omnes, hora matutina x. comparuêre. Ut Comitia auſpicato exordiretur, SAC. CÆS. REGIAQUE MAJESTAS,

JESTAS, implorare cœli opem, & auxilium ſtatuit. Comitantibus itaque Germanis ac Hungaris præcipuæ dignationis Nobilibus, Conſiliarijs ac Miniſtris, præeunte nudo enſe Supremo Aulæ Prætorio Præfecto (quem Mareſchallum nuncupamus) ALBERTO COMITE ZINZENDORFFIO, per ligneam pergulam vicinum templum ingreſſi ſunt omnes.

Ipſe Metropolitanus Strigonienſis ſolemne Sacrificium, invocato Spiritus Sancti Numine, peregit. Hinc rediens Cæſar, paulò poſt in exterius conclave, pari comitiva pervenit. Ibíque congregatas cum videret omnium Ordinum claſſes, ſub Uraniſco præparatam in ſolio ſedem occupavit, à cujus dextra præfatus Mareſchallus enſe ſtricto armatus conſtiterat. Sua Majeſtas protinus nutu ad ſe vocabat Pannoniæ Regium in Aula Cancellarium, Epiſcopum Nitrienſem, JOANNEM GUBASCHOCZIUM: qui flexo poplite Clementiſſimum mandatum accepit, & cum gradus aliquot in dextro latere promoviſſet, ad Ordines Regni illic in imo ſolo ſtantes, converſus, vernaculo ſermone expoſuit:

Convocâſſe Sac. Cæſ. Regiámque Majeſtatem inclyti Regni Ordines,

quibus nunc inſigni frequentia præſentibus, ex ipſis rerum documētis oſtenſura ſit, quanta ſolicitudine erga patriam & univerſos feratur. Scilicet in Comitijs nunc os ori admoveri, & coram diſpici poſſe, qua potiſſimum ratione vulnera, quæ temporum injuriæ inflixiſſent, ſananda ſint. Seriò & ſincerè deliberandum de Patriæ neceſſitatibus; quod omnes liberè ſentire, & quæ ſentiant, apertè dicere poſſint. Cùm verò ruinoſæ Reipubl. minas ſuffuicire, ope & opera ſua cives debeant, oportere illos publicæ quietis media promovere, obſtacula amoliri: ſimultates, diſſenſiones, ſtudia partium ejurare. Omnes publica privatis anteponant, ut illi qui excuſsâ pace, nefario auſu, in diram barbarorum ſervitutem proclives ſunt, in communem patriæ concordiam

diam redigantur. Conſpirent cuncti in patriæ tutelam: Sint Regi ſuo fideles, legibus obedientes; tunc cætera etiam ſtatim adfore, cuncta feliciter ceſſura.

Sac. Cæſ. Regiaque Majeſtas, ſermonem Latinis verbis Ipſamet cepit. Gratanter nimirum videre profeſſa, evocatorum Statuum & Ordinum ex omnibus claſſibus frequentiam. Noviſſe illos, quæ malorum fata domi & foris, inclutum regnum urgeant: Remedia ad ſalutem & tranquillitatem idonea, certis Propoſitionis capitibus, ſcripto exactius comprehenſa, mox communicatum iri. Flagitare idcirco incorruptam fidem & obedientiam, qua quiſque Regi & Patriæ devinctus, ut integro animo, ſpretis privatorum, ſuiſque liticulis, Reipub. conſulat: quò ſine mora, quies & ſecuritas publica inſtaurentur. Omen proſperi ſucceſſus ex ipſo hodierno S. Spiritûs

pervigilio capi poſſe; cujus propitium Numen exorandum, ut omnia proſperè cedant, & Regnum Hungariæ florentiſſimum quondam, rurſum aſſurgens priſtino ſuo nitore refulgeat.

Stupentes tum mirabantur Pannonij promptam nitidamque ſui Regis facundiam, ac erumpentes nonnulli lacrymas, non ſatis coërcebant. Nomine autem univerſorum Archipræſul Strigonienſis Regni ſummus Cancellarius & Secretarius, tabulati ante Solium protenſi, primum gradum conſcendens, gratias retulit, quas Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtati, pro paterna ſolicitudine & clementia, Incolæ Regni conciperent: Pollicitus, omnes & ſingulos, fidem & obſequium Regi & Domino ſuo in hiſce Comitijs pro virili adprobaturos. Cæterùm ut Regnum multis modis ſaucium, ſalubri Majeſtatis Suæ medelæ ac benignitati comendatum ſit, humillimè exorare.

Ex

Ex in, Magiſter Regalis Pannonum Curiæ Comes PAULUS ESTERHASIUS, populares ſuos, qui in campo non comparuerant, ad oſculandum Regis ſui manum, patrio ſermone, & alta voce invitavit. Hoc peracto, poſtquam Cæſar in cubiculum ſuum revertiſſet; digreſſi quoque ſunt Ordines, ut in loco cætui deſtinato, Propoſitionis, & rerum deliberandarum capita intelligerent.

Scilicet penſitandum candidè & ſincerè, collatis omnium Ordinum ſententijs, quâ viâ per tumultus excitatos, cives à patria Exules, ab imminente pernicie erepti, Regi reconciliandi, ac poſtliminio reducendi ſint: cum Regia Majeſtas, facinorum pœnas illis benignè indulgeat. Regni Status, & Ordines damnaſſe jam tum, nefandam ſocietatem, cui vecordes illi ſeſe involviſſent: Nunc igitur diſpiendum, ſi pertinaciam & populationes, pœnitentiæ, ac quieti præferant, quo ſtipendiorum ſubſidio, quâve militum & copiarum vi,

ta-

tabida corporis membra amputanda penitùs: Maximè nunc, cum Regis clementia, tributum à Repartitione vocatum, aboleverit. Securitatem adverſus propinquum hoſtem, abſque finium cuſtodia, & inſtructis probè præſidijs, non obtineri: Idcircò limitum propugnacula, & munimenta, ruinis ferè obnoxia, erigenda & redintegranda: Atque gratuitos præcipuè, Pannonibus uſitatos labores, eò gnaviter convertendos. Cùm plurimi ex incolis Regni, in deditionem Turcarum privato auſu, citra neceſſitatem provolvent, juxta leges patrias obicem huic licentiæ ponendum. Laſciviam militum utriuſque nationis Germanæ, & Hungaræ, ſeveris cohibendam pænis, ut diſciplina ſarta tecta ſit: Vagabundos autem prædones acriter ulciſcendos eſſe.

Me-

Meditandum quoque, ut legum & tribunalium reverentia firmetur, quò pacto judicum latæ ſententiæ, vim & executionem ſortiri valeant. Cæterùm Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis paternam ſolicitudinem, exantlatos pro Regni ſalute labores, erogatos ſumptus immenſos, omnium bonorum Civium mentibus inhærere: qui ſi ſalvi, ſi felices eſſe cupiant, pietatem erga patriam, fidem & obſequium Regi ſuò debitum, unicum ſcopum ſuarum deliberationum habituri ſint. Meminerint Reipubl. periclitanti celeriter, & priùs conſulendum, quam domeſticis commoditatibus; cùm illa labefactata nihil integrum, nihil illibatum in privatis laribus ſuperfuturum ſit.

Hinc excluſa mora, Archiepiſcopi cum Suffraganeis, & Magnatibus, in Domo Provinciali; Prælatis autem conjuncta Nobilitas, Civitatum

item Regiarum Nuntij, in Curia oppidana coierunt quotidiè; Primores proprio cincti plerúmq; ſatellitio, equis & ornamentis ſubinde mutatis, ad deſignata Collegia accurrere, deliberare, deliberata per internuntios ſibi communicare, atque ſtatuere. Judicarunt autem omnes, ad moderandum priſco more Comitia, Palatino Regni opus fore: qui Magiſtratus cum poſt fata Comitis Franciſci Veſſeleny pluribus annis vacaret, nunc præcipuè redintegrandus eſſet.

Hæc Palatini dignitas Regiæ próxima cenſetur; is enim in Comitijs potiora ſuffragia habet, ac in judicijs juréque adminiſtrando magna poteſtate fungitur: Foris autem & in caſtris, ſummam rerum bellicarum directionem obtinet, adeò ut ſummus Regni curator vicarius eſſe ſoleat. Aliquamdiu varijs, & diſparibus ſententijs certatum fuit, an modo Palatinus poſcendus? an verò ſubſidiaria officij cura Locumtenenti (quem vocant) Metropolitano, uti per aliquod temporis intervallum hactenus, ita etiam ad Comitiorum finem, relinquenda foret? Quæſitum quoque, utrum ſocij autoritatis Palatino adjungendi eſſent? Attamen luxuriaturæ poteſtati, à legibus regni habenæ jam inditæ repertæ fuerunt. Quemadmodum Rex Uladislaus, arroganti quondam reſpondit Palatino

(jux-

(juxta Bonfin. Decad. 5. lib. 4.) ſemper illi fore integrum, an manſuetum, vel inexorabilem velit habere dominum. Proinde SAC. CÆS. REGIAQUE MAJESTAS, Statibus & Ordinibus Regni gratificari volens, diem illis XIII. Junij, ad creandum ritè Palatinum præfixit. Tunc ante prandium ad Ordinum Regni Claſſes, in Domo Provinciali collectas, amandati fuêre, ALBERTUS COMES ZINZENDORFFIUS Supremus Aulæ Mareſchallus, & JOANNES PAULUS BARO HOCHERUS, Auſtriacus in Aula Cancellarius. Hos præ foribus Ordinum Delecti ſalutavêre, & Epiſcopus Chanadienſis, JOANNES KERY, ſermone habito, ſe cæterorum nomine, hoſce Cæſaris Regiſque ſui Miniſtros, tanquam boni Nuntij Angelos, excipere dixit. Ubi in ſuperius conclave & concionem perventum, Archipræſul Strigonienſis capiti menſæ adſidens, Comiti Zinzendorffio loco ceſſit; & ab hujus ſiniſtra ſede collocatus Baro Hocherus, Ordines Regni alloquutus eſt. SACRAM CÆS. REGIAMQ; MAJESTATEM nunc facultatem arbitriumq; illis largiri, ut flagitatum repetitis precibus Palatinum, eligant

 avi-

avito more: Irent proinde in Suffragia, quærantque ex IV. Candidatis, à Cæſare in ſcheda ſecreta & obſignata nuncupatis, maximè idoneum. Hinc chartam Regiam, Comes Zinzendorffius Metropolitano tradidit, qui eam oſculo venerabundo acceptavit, atque gratias egit Cæſaris clementiæ, pro beneficio univerſis Regni incolis noviter collato. Seſe unitis jam ſtudijs quæſituros, quem Regi fidum, Regnique neceſſitatibus curandis aptiorem exiſtiment. Legatis viciſſim, Præſulum, Maximatum, Nobilium Civitatumque cum priore Comitativa dimiſſis: Cum gemma ſolveretur, in ſcheda nominati erant Candidati, natalium ſplendore, proprijſque virtutibus conſpicui, Comites Catholicæ profeſſionis NICOLAUS ERDŐDI Banus Croatiæ, & PAULUS ESTERHAZY de GALANTHA: Evangelicæ autem, Comes JOANNES COLLONICIUS, & Baro PETRUS ZAY. Hi ergo ut quorum intererat, è loco conſilij cùm excederent, confeſtim omnes ſuffragia tulerunt. Unanimi mox voto, albiſque cunctorum calculis, electus fuit COMES PAULUS ESTERHAZY de GALANTHA, confiniorum Regni antemontanorum, Generalis Dux, & Regalis Curæ Magi-

ſter:

ſter: Is igitur in Senatum revocatus, cunctis geſtientibus, Regni Comes Palatinus ſalutatus fuit.

Feſtivo illum plauſu in Aulam deduxit Archi-Epiſcopus Strigonienſis Primas Regni, & in Ordinum Corona coram Cæſare ſubmiſiſſe ſtitit: Orans ut hæc optatio benignè approbaretur. Quoniam Eſterhaſius ijs majoribus ortus ſit, qui domi & foris clari, de Republica & Auguſta Domo Auſtriaca bene mereri ſtuduerint. In mente multorum adhuc verſari, Nicolaum Eſterhaſium ſub Ferdinando II. Cæſare & Hungariæ Rege, hic Sempronij Palatinum creatum; qui munus hoc eâ ſolertiâ, tam toga quàm armis ſuſtinuiſſet, ut nominis gentiſque decus æternum perennaturum ſit. Tanti genitoris filium & gloriæ ſucceſſorem, veſtigia avita preſſurum, neminem ambigere, cum ea virtutis & indolis ſigna ediderit, ut maxima quæq; ab illo patria

ſibi polliceatur, & Domino ac Regi ſuo fidum utilemq́; fore, ſpondere queat.

SACRA CÆS. REGIAQUE MAJESTAS in ſolio ſedens, hanc Statuum & Ordinum electionem, Clementiſſimo adſenſu ſuo ratam gratamq́; ſe habere profeſſa eſt: Hortando novum Palatinum Eſterhaſium, ut fidem, & obedientiam Regi debitam ſervet, nec non patriæ decus, & emolumentum quærat. Et cum hic ſupplici cultu, vitam, ſanguinem, facultates, grati redhoſtimentum animi, Cæſari Regiq́ue ſuo benigniſſimo, viciſſim in fidelitatis, & obſequij pignus devoviſſet, per ſolemnem juris jurandi formulam, quæ Palatino incumbunt ſtipulatus eſt. Nimirum Regius Pannoniæ Cancellarius Epiſcopus Nitrienſis, Statutis, comprehenſum prælegit fidei Palatinatus Sacramentum; quem præeuntem claris verbis erectiſque digitis, ille ſequutus: Ego Comes PAULUS ESTERHASY de GALANTHA (fatur) juro per DEUM vivum, Beatam Genitricem MARIAM, omnes Sanctos & Electos DEI, me, Sereniſſimo Regi Domino LEOPOLDO, Domino meo Clementiſſimo, cujus ſingulari gratia alijs Baronibus, & Proceribus prælatuś, in Palatinatus Regni ſublimitatem exaltatus ſum, cultum, obſe-

obſequium & fidem, pro viribus præſtiturum: Nihil exoſius populari factione, & conſpiratione habiturum: Conaturum potius ſedulo, ut Regiæ Majeſtatis autoritas, & decus conſervetur, dignitas & gloria augeatur: Quæcunq; periculoſa, & adverſa exiſtimavero, omni ſtudio avertere, & propulſare ſummoperè enixurum: Amicitiam vel pactum, quæ Suæ Majeſtati detrimentoſa eſſe queat, nunquam contracturum: in quocunq; fortunæ eventu, Suæ Majeſtatis partes acriter tuiturum: Utilia cuncta provehere, proventus, reditus, aliaq; Regis Fiſci bona, ne quid detrimenti capiant, diligenter cauturum: Publica non uſurpaturum, nec mea meorúmque fratrum, aut agnatorum emolumenta quæſiturum, neque ſine Regis ſcitu alijs permiſſurum: Vice quoque Regiæ Majeſtatis, quantum quidem meum concernit munus, ut omnes ſpirituales quàm ſæculares Ordines, libertatibus juribus definitis gaudeant, & fruantur, inhibita omni injuria illegitimaque offenſione, curaturum: Judicia item conſuetis locis, & temporibus, ut habeantur, finium fortalitia ut inſtruantur, muniantur; nec non quæ officij Palatinatus ſunt reliqua, fideliſſime exequuturum: Nihil amori nihil odio, judicio inimicis affectibus, nihil pretio, nihil pre-

precibus tributurum. Adjuvet me DEUS, B. Virgo MARIA, & omnes Sanɛti.

Cùm ex Aula redirent cives, omnem Panno-niorum ætatem ac ſexum viſus erat, hilaritatis genius invaſiſſe. Gratulatione certantium clamores ac plauſus, per compita, & præcipuè præurbij hoſpitia auditi. Exiſtimabant cuncti, ſummum Regni magiſtratum, nunc patriæ poſtliminio redditum. Effuſiori gaudio lætabantur de novo quaſi imperio, qui Gubernatores quoque olim Hungaris præfuiſſe, ignorabant: tum rudes præteritorum, neſciebant Palatinatus officium, priori & hoc noſtro ſæculo, ſub Cæſaribus, & Hungariæ Regibus, Ferdinando I. Maximiliano, & Rudolpho II. per intervalla ceſſaſſe, ſubſtitutis Regio arbitrio in curam muneris, ex Antiſtitum, & Baronum ordine. Pro-Palatini enim, ac Locumtenentes XVII. in annalibus recenſentur. Demum per convivia, & epulas paſſim lautè ſtructas, Dijs hoſpitalibus propitijs, ſpumantibus mero generoſiore ſcyphis, libero Patri pro libertate vota reddita, ut cuncta proſperè, & feliciter ingeminantium raucedo irrigaretur.

Detrectaverant Regni Ordines, ipſum Comitiorum, & Propoſitionis argumentum aggredi, donec Palatini munus redintegratum foret. Nunc omnes

omnes & ſinguli, in pleno Senatu, ut audirentur, deſiderarunt: quod abſq; prolixis ambagibus non contingit. Nam ſine partium ſtudijs, ſtentorijs altercationibus, diſceptandi contradicendique libidine, querimoniæ Pannonibus non inſtituuntur, aut abſolvuntur, celebri ſub gravaminum nomine. Idcircò Cæſar tardiorem tractatuum progreſſum perſpiciens, quorum tam lenta fuerant principia; utque æſtus vehementioris moleſtias vitaret, XVII. Junij Neapolim Auſtriæ ſeceſſit. Reliquit intereà Sempronij, qui Auguſto nomine Comitijs præeſſent, intimi Conſilij Miniſtros, JOANNEM HARTVIGUM COMITEM NOSTIZIUM, Regni Boëmiæ Summum Cancellarium; qui poſt tot ſapientis animi documenta, maximis rebus exercitatus, quæ difficillimos explicatus habere judicabantur, Provinciam hanc præ cæteris mereri viſus fuit: ET ZDENCONEM COMITEM CAPLIRIUM rei tormentariæ Præfectum, domi foriſque ingenio, ac manu promptum & celebrem; addito hiſce ex Provinciali Inferioris Auſtriæ Conſilio ICto Hofmanno, uſu rerum Pannonicarum claro.

Cæterùm Imperatoria Majeſtas, quanquam abſens, ut Comitior tela perpetrè texeretur, indefeſsè operam dedit. Auguſtanæ, & Helveticæ

Confeſſionis (ut ajunt) aſſeclæ, calamitatem ſuam jam Sempronij facundè miſerantes , EPISCOPUM VIENNENSEM EMERICUM frequenter adierant. Ille enim Comaronij in Pannonia honeſtis magis quam claris parentibus ortus, Vir actuoſus, & efficax, temperandoque clavo Reipub. quam clauſtro magis accommodus, meruerat, ut Cæſar eum licet reluctantem , è monaſtica Capucinorum Sodalium diſciplina protractum, Epiſcopatus Viennenſis, ac Imperij Principis ampliſſimâ dignitate donaret, dignumque judicaret interioris admiſſionis. Hinc ipſius opera, & rerum agendarum ſolertia effectum , ut Procerum Hungariæ, Sempronij nonnunquam efferati invicem animi, ad concordiam flecterentur, neque Comitiorum conſilia per abruptam contumaciam perirent. Patuit ſcilicet quantum ad negotiationis efficaciam interſit, quibus adminiſtris res gerantur , cùm à Pannonici generis, & ſanguinis Antiſtite, fucum, & artes abeſſe crederent, quas in alienigenis, ac Germanis facilè fingunt , & anxiè ſuſpicantur. Quod cùm animadvertiſſent dictæ Confeſſionis ſequaces, per Epiſcopum certam ſpem impetraverant, fore, ut Clementia Cæſaris, illos adverſus vim, & injuriam ſecundùm Regni leges incolúmes tueretur. Haud impetrabile etenim erat, ut quæ hos

ſpe-

ſpeciatim urgeret cauſa, communis omnium Regni Statuum redderetur. Itaque per delectos die XXII. Junij Neaopoli Sac. Cæſ. Regiæq; Majeſtati codicillo exhibito, ſupplices expoſuerunt.

Violatum ſub juris & juſtitiæ velo, reverâ autem injuſtâ vi adhibita, ab Optimatibus Catholicis, liberum Evangelicæ religionis uſum; cum ſcholis & proventibus everſa vel adempta templa, eorumq; miniſtros ad ſupplicia abreptos, malè mulctatos, in exilium actos, vel ad triremes damnatos, imò unum rogo combuſtum. Eam ſolitudinem, doctrinæ, ſacris ac fanis eorum indictam, ut aggreſtes per Hungariam, pecudum inſtar ſine Numinis ullo cultu, vitam tranſigant, infantes abſque baptiſmatis & regenerationis lavacro, amittant. Nobiles & paſſim omnes fortunis ſpoliatos, ut conſtantiam Confeſſionis exuerent: plurimos plagis, & mi-

litari manu, ad Catholicorum ritum perpulſos. Nemo tamen ullis cruciatibus exprimat, ut quis credat quod non libet credere: & nil ſit tam voluntarium, tam ſuæ ſpontis, quàm Religio. Civibus Regiorum oppidorum, contra privilegiorum tenorem, aditum ad honores & magiſtratus præcluſum. Ipſum Comitiorum conſeſſum documento eſſe, quod Evangelici, qui patrio jure ablegari debuiſſent, domi retenti ſint. Atrocitatem injuriam manifeſtam reddi, quod Evangelicorum immunitas, & conſcientiarum libertas, tot Regni Conſtitutionibus legibuſque vallata, nunc polluta & peſſumdata ſit. Infirmum vel nullum in conculcatis juribus patriæ præſidium ſupereſſe, ni Regio juſſu & autoritate ex Diplomatis ſancta formula, in priſtinum ſtatum reſtituantur.

Poſtquam hujuſcemodi querelarum copia, Catho-

tholicis Statibus, Ordinibuſque facta eſſet, ſequuto Julio Menſe, ſolido porrecto libello reſponderunt. Summoperè dolendum, quod Evangelici non tanquam Reipubl. unius cives, ſed quaſi aliam patriam, alium populum facerent, ex comperta ipſorum indole diſcordi, quoties externa pericula ingruant, aut domeſtica mala urgeant; toties privato ſectæ ſtudio agitati, communi concordiæ & defenſioni obluctētur, ea ſemper efflagitantes, quæ Catholicæ fidei excidium ſpectent. Conari ſaltem adverſarios auribus credulis palpum obtrudere: ſe autem ad ſincerum cordatumque totius Chriſtiani orbis judicium provocare, quo jure, quave injuria cultum Numinis antiquum & avitum, ac cuſtodes ejusdem Sacerdotes, ſedibus ſuis pepulerint, templa, bonaque ſacra, ipſis barbaris ſæpe adjutoribus profanata, ſibi manci-

parint? Sanè licuiſſe per vim ablata & uſurpata, non Turcarum manibus, ſed placidiori juris via, repetere. Priori equidem ævo novitatis impetum multos Proceres in Evangelicorum partes ſeduxiſſe: Jam cùm illi redierint ad veræ Eccleſiæ gremium, ſanam rationem haut pati, ut ſubditorum ruſticorumq; obſtinatio, illos conſtringat, quo minus templa à Majoribus condita & dotata, Catholico nunc ritui, cui ipſi ſint dediti, reſtituant. Vanum & abſurdum fore minus licere in terris & regionibus ſuis Proceribus, dum hodie Catholicam fidem amplexantur, quam cùm Lutheri & Calvini nova dogmata venerarentur. Extorſiſſe quidem illos perturbatis Regni temporibus, liberam tutamq; de Deo & rebus divinis ſentiendi facultatem, idque nunc ingenti ſupercilio ex

legi-

legibus patriæ jactitare. Quanquam verò Eccleſiaſticis, magnoque Optimatum numero contradicentibus, talis licentia ſancita ſit: perinde tamen ſtatuto diſertè comprehenſum, quod Evangelicum exercitium, abſque Religionis Catholicæ ullo detrimento intelligi debeat; omniaque hujus templa & ſacra, ſancta & illibata relinquerentur, occupata verò turbarum civilium tempeſtate, fideliter redderentur. Hinc ex ipſarum legum dictamine, Catholicos tanquam legitimam hæreditatem ſuam recuperâſſe à violentis poſſeſſoribus, qui neutiquam uſucapere potuerint, templa, ſcholas & proventus, à Majoribus ſtructa & fundata. Blandiri ſibi nimis Evangelicos, ſi Catholcis noxæ dare geſtiant, quod in Concionatores quoſdam, compertos & convi-
ctos

ctos ſeditionum artifices, ſeveritatis exempla ſtatuta ſint, ne hebeſceret acies publicæ autoritatis. Quis niſi excors, objectet, quod incendiarius manifeſtus, ultricibus flammis ſublatus ſit? Ajunt verò, haſce pœnas, ſub judiciorum vel juſtitiæ velo, contra jus & conſuetudinem Hungariæ, confictis adverſus innocentes delictis, ſumptas eſſe. Noſſe tamen omnes, quod ſervato juris Ordine, ipſis etiam Evangelicis quibuſdam, inter judices pro tribunali aſſidentibus & ſuffragantibus: ſententiæ in reos ſint latæ, nullo religionis, ſed publicæ tranquillitatis intuitu ac commodo. Meminiſſent Evangelici, quando judicia cavillis explodere libido eos inceſſit, eâ crudelitate, exquiſitis tormentis ac ſupplicijs, à factioſis Extortibus in ſacros Catholicorum homines, in ulterio-

ri maximè Hungaria ſævitum eſſe, ut Buſiridis tyrannidem antecellat perpetrata carnificina. Piaculum fore honeſtis auribus, propudioſa flagitia in Monachos & Presbyteros admiſſa, noviter percenſere. Hæc ſcilicet eſſe mitiſſima novi opera Evangelij: quæ cum agnoſcere illos pudeat, & confiteri vereantur, Catholicis falſo impingere conentur. Illacrymâſſe etiam nuper ipſos inimicos, ut Julius olim conſpecto Pompeij cadavere, ultra millenos tum Nobiles tum ruſticos, in prædijs & tuguriolis, quietè & ſecurè degentes, ex unico virulento in Catholicos livore, fortunis privatos, comprehenſos, demum in diram ſervitutem, ut vilia pecora, Turcis in prædam & præmium ſocietatis proditos traditoſque. In civitatibus Regijs æquabile jus utrique

religioni merito competijſſe, nullibi tamen Catholicos cives ad munia publica admiſſos, niſi ejurata prius avita fide. Poſtquam his quoque via ad honores patefacta poſtliminio ſit, manifeſtè injurios eſſe Evangelicos, qui id exprobrent. In tantum verò abeſſe Evangelicorum exterminium, ut ſupputanti in ulteriore Hungaria, utriuſque novæ Confeſſionis templa & miniſtros, ſtatim calculus ſe offerat, quod hi numero & frequentia Catholicos longè ſuperent & antiſtent. Imo in plurimis Comitatibus, ubi nullus Sacerdos priſcæ Eccleſiæ inveniendus, calcatæ tantùm vel exciſæ aræ, deſolatæ ſacræ ædes, vel ſolo æquatæ, tanquam furoris adverſariorum veſtigia, appareant: Evangelicum tamen exercitium ubivis, & alicubi per centenos miniſtros vigere ac regnare, Catholicis penitùs expulſis.
Hinc

Hinc patere quæ calamitas Catholico ritui illata ſit, poſteaquam is à XIV. integris Regni Comitatibus, cruento ejectus gladio, fermè exulet omni modo; qui tamen ex Regijs & patriæ conſtitutionibus, avitoque jure ubiq; locorum liberrimè florere deberet. Convitia veritati facta, & calumniæ adverſæ partis, cùm perſpicuæ ſint, & manifeſtè deprehendantur, Catholicos priſcis juribus exutos, indemnes ſervandos reſtituendoſque, neminem æquum rerum æſtimatorem ambigere poſſe.

Cum infeſtæ partes ejuſmodi jurgijs, & poſtulationibus invicem pertenderent, SAC. CÆS. REGIAQUE MAIESTAS paternè illas commonefecit; ſeriò cogitarent quantas clades Hungariæ minetur, hoc animorum, & religionis divortium. Hanc eſſe fatalem ſcaturiginem, & funeſtum fontem, ex quo furoris lympham jam altero ſæ-

culo derivatam hauriant. Jure metuendum præſens patriæ excidium, quamdiu mutui acerbitate odij, & nimiâ flagrantes aviditate ſibi ipſis cives noceant, atq; ut ſua tantùm pertinacia æmulos macerent, peregrinam & barbaram gentem, non magis ad bellum quàm ad prædam, & Hungariæ poſſeſſionem in conſortium alliciant, ac provocent. Proinde mentem à turbidis ſuſpicionibus avocarent, ſublatis omninò diffidentiæ ſcrupulis, placidiora conſilia amplecterentur, amica conventione controverſias circa res religionis enatas, tranſigerent, & ſemina diſcordiarum tollerent, ſecus in patriæ, & Chriſtianæ fidei perniciem eruptura. Legibus Regni ſatis ſuperque proviſum, hujuſcemodi concertationibus, quibus una pars alteram in odium, & invidiam

vo-

vocat: quas ſi reverenter reſpiciant, nec robur variando & interpretando enervent, haud difficulter inter Hungaros unius patriæ filios, concordiam coaleſcere poſſe.

Sed ut pervicaciſſima ſunt odia, quæ ex diverſarum religionum litibus fervent, conciliatio coire non potuit: adeoque pars utraque ſpem ſuam in Regis æquitate, & judicio collocare amavit. Intereà benignitate Cæſarea Confeſſionis Helveticæ ſectatoribus, conceſſum, ut conciones ſuas patrio idiomate Sempronij in ſuburbio celebrarent.

Calebant non minùs Comitiorum deliberationes, & certamina, diſcordi ſæpè Eccleſiaſticorum, ac Magnatum ſtudio, in aſſerendis ſuo quiſque ordini, quæ curam Reipub. propius continent. Subſidiariam Palatinatus officij operam, Locumtenentiam vocant, eamque Præſules vacuo iſto munere, Metropolitano vendicabant: Nobiles verò aboleri penitùs talem vicariatum, cupiebant. A delectis Cæſareis Regijſque Plenipotentiarijs indefeſſo labore Sempronij actum, ut dudum expectata, ardua gravaminum moles, in publicam lucem prodiret quantociùs. Aſt variantibus ſemper animorum motibus, deliteſcere voluit, donec SAC.

CÆS. REGIAQUE MAJESTAS inſtante vel maximè Regni Palatino die XVIII. Sextilis Neapoli Sempronium reverteretur, ut Auguſta præſentia diſſidentium tumores ſedaret, ne in abſceſſum deſinerent. Itinere inſtituto Imperator cum AUGUSTA, inviſerunt ad Palatini Eſterhaſy arcem Kiſmartonium, ea ædificij magnificentia exſtructam, ut Regium quoque ſplendorem æmulari videatur. Illic belli machinarum fragore Suæ Majeſtates ſalutatæ, tum prandio oppiparo exceptæ fuerunt. Similiter Legati exterorum Principum, Germanorum, ac Pannonum Satrapæ, ac reliqui Aulæ familiares, genialiter habiti, eadem veſpera Sempronium attigerunt.

Amputarant Ordines Regni ex verboſis querelarum coacervatis voluminibus, quæ privatorum tantummodo vota, & deſideria complectebantur. Poſtquam igitur ampliſſima querelarum materia, codicillo etiam non anguſto comprehenſa, SAC. CÆS. REGIAQUE MAJESTATI à Statuum delectis die VII. Septembris humillime exhiberetur; Eadem aura liberiore ut frueretur, ad Voluptuarium ſuum Eberſtorffium, Vienna haud procul diſſitum, & venatione cervorum nobile, ad octiduum ſe tranſtulit. Perſtiterunt interim Sempronij Aulæ primores & Miniſtri, qui momenta

gra-

gravaminum ponderarent, quò in Cæſaris reditu expeditius reſponſum in promptu foret. Horum Concilium, adhibitis ex Pannonum quoque Optimatibus Conſiliarijs Regijs, quotidiè agitatum apud SACRI IMPERII PRINCIPEM JOANNEM ADOLPHUM SUARZENBERGIUM, Præſidem in ſummo Aulæ Imperialis Dicaſterio, cujus à longa annorum ſeriè, in obeundis arduis muneribus fidem, profundam prudentiam, & in conſilijs explicandis efficaciam, nulla unquam obſcurabit oblivio. Reperta fuit negotiorum ſeges haud ſterilis.

Ordines à gratiarum actione initium capiebant, quod REGIA MAJESTAS patriæ neceſſitatibus magno ardore conſulerat, ac Regno ſuum Palatinum reddidiſſet. Grates item redditæ Strigonienſi Metropolitano, quod Pro-Palatini, ſive Locumtenentis munus (id tamen Ordines penitùs abolitum optabant) magno erga Patriam zelo & amore ab annis ſuſtinuiſſet. Poſtulata autem diſtincta in duodecim capita, ſummatim ſequentia fuêre:

I. Scilicet cum multiplici, & exquiſita veniæ ac ſubmiſſionis, erga Regiam Majeſtatem præfatione, exiſtimabant inclyti Regni Hungariæ Status ac Ordines, ſuam ſuæq; Patriæ libertatem in deminutio-

nutionis diſcrimen ab undecennio deductam, ſeditioſos illos tumultus exciviſſe, qui Regnum nunc atrociter laceſſant. Immanem Turcam graſſari eò licentiùs, quod pacis cum illo initæ conditiones ignorentur Hungaris, qui perinde hoſtis dedititij ut fierent, miſerijs & horrendis extorſionibus paſſim adacti ſint. Nunc omnes ut rerum gerendarum notitiam habeant, expetere, ut Ablegato Cæſaris in Aula Ottomannica reſidenti, ex Pannonica gente ſocius adjungatur, conſiliorum cunctorum futurus particeps. Si barbarus pacem abnuat, & latrocinari pergat, juſto bello patriam propugnandam. Offerri eò fine, in caſu extremæ neceſſitatis, Univerſalem Regni Indigenarũ Expeditionem, quam Inſurrectionem vocnt, nempè ut omnes ac ſinguli more majorum arma capeſſant, & in campum progrediantur.

II. Magnas & frequentes Germani militis copias, in viſcera Regni perductas, tanquam in hoſtico, & petulanter illic egiſſe, exactiones, aliaque intoleranda facinora patraſſe. Sopitis inteſtinis motibus, peregrinum militem abducendum, & Lege lata cavendum, ne redeat unquam ſine totius Regni adſenſu: Sin autem dubia adhuc pace quidam remaneat, illum in extrema adverſus Turcam præſidia collocandum. Hic etiam abſque ul-

lo

lo Regni colarum onere modeſtè vivat, Regni Palatini imperio ſubjectus, qui diſciplinæ militari ſeveriſſime attendat.

III. Pannoniæ Magnates ac Nobiles, Delegatorijs alijſque incognitis judicijs, reos factos, punitoſque: Novam procedendi formam omninò tollendam. Criminis Majeſtatis damnatorum hæredibus, fors ex Legis Juliæ Romanorum atrocitate, paterna hæreditas abrepta, & Fiſco Regio addicta. At non eſſe mentem legum Hungariæ, ut Illuſtres ac Nobiles familiæ, ex parentum infidelitatis nota, perpetuâ egeſtate ſordeant. Adeòque portionem hæreditariam, juxta patriæ Leges miſeris hæredibus reſtituendam fore. Attexebantur hic etjam Szabarienſium contra Epiſcopum Jaurinenſem, aliorumque privatæ poſtulationes.

IV. Hungariæ libertatem nulli tributorum oneri ab antiquo obnoxiam, recenter Repartitionum & impoſitionum vocabulis, variè oppreſſam & exhauſtam. Extinguenda prorſus extorſionum nomina, & memoriam.

V. Miles Hungarus in Regni confinijs hoſti alioquin oppoſitus, poſtquam exauctoratus ſit, atq; partim refractariorum ſocietatem induerit, partim domi inops in cives & fratres latrocinetur, vel longinque in Turcas periculosè graſſetur: Nuda quaſi

latera internecini hoſtis invaſionibus præbita fuiſſe. Conducendus iterum ex gente Hungara copioſior miles, & qui ſupereſt præſentiori ſtipendio alendus; cæteroquin niſi ſatur, bene veſtitus, & habens aliquid in loculo, nihil hoſti ſaginato nociturus. Fraude in hoſce milites, avaritiâ ac libidine in provinciales, Præfectos caſtellorum, ac præſidiorum, quæ in finibus ſunt, multifariam peccaſſe; hos inprimis evocandos in Comitia, mulctandos, & vitæ ſupplicio caſtigandos. Laſcivientem reliquum militem, Regni Palatinus coërceat. Deinde munimenta, & propugnacula limitanea, opportunis locis (quæ ſingillatim deſignantur) diſtribuenda & præſidijs firmanda, ad retundendam vim barbaram. Equidem militem non ſine ſtipendio, neq; ſtipendia abſque tributis haberi poſſe: à quibus tamen Pannones meritò exempti ſint, cum pectoribus hoſti oppoſitis quotidiè excubent, & ſanguinem fortunaſque largiter profundant. Æquum fore, ut Summus Pontifex, Germani cæteræque nationes, numario ſubſidio liberaliter ſuppeditando, compellantur; qui tutam ſuam quietem, & à Turcarum impreſſionibus incolumitatem, Hungarorum vigilijs, periculis & fortitudini, imputare debent. Ipſos tamen Hungariæ cives, quanquam multis numeris calamitoſi, vectigal mediæ Triceſimæ,

mæ, & gratuitos ſubditorum labores, ex uſu Regni collaturos, ne prorſus oneri ſe ſubtrahere videantur. Haud pœnitendam quoque pecuniæ ſummam cumulatum iri, ſi rationes exigantur ab ijs, qui gratuitorum laborum ex Triceſimæ pecunijs percipiendis, incubuerunt; quæ ad propugnaculorum uſum deſtinatæ, privatorum loculis forſitan ceſſerunt.

VI. Controverſia religionis & rerum ſacrarum, Regiæ Majeſtatis Clementiſſimo arbitrio relinquitur.

VII. Cúm Fiſcus ſeu Camera Regia ingenti & ſuperfluo curatorum numero abundet; illos, tum omnes extraneos dimittendos, ſubſtitutis ex gente Pannonia alijs. Ipſum Præſidem Antiſtitem ſacris dicatum, patriæ legibus ab hoc munere arceri, perinde abdicandum eſſe (id quod tamen Eccleſiaſticus ordo impugnavit) De cætero Fiſcum nullibi juris dicendi compotem, hoc verò, ac pro ſeſe pronunciandi facultatem, ſibi arrogâſſe, ac longè lateqe juriſdictionem propagaſſe. Inter bona caduca, res quoq; mobiles alijs debitas, invaſiſſe. Contra libertatem Regiarum Civitatum, Magiſtratus & Decuriones ex nutu Fiſci adminiſtrorum, depoſitos, creatoſque. Nobiles ac civitates de illatis acceptiſque muto injurijs, querimoniam & litem

ingeſſerunt, ad inviolabiles priſcas immunitates utrinque provocantes. Telonariorum ac publicanorum rapacitatem, in Nobilium etiam ignominiam, ac damnum, in immenſum creviſſe. Abrogatis, quæ libertati & mori patrio adverſantur, Fiſci rationes aliter ut inſtituantur, ſubnixis precibus flagitatum.

VIII. Finium regundorum lites vigere, & in diminutionem Regni vergere, vicinorum ſimultates, prædas ac cædes mutuas, hactenus hinc inde perpetratas, majora mala minari, ni prompto remedio occurratur. Nuncupantur itaque finitores Commiſſarij, ex parte Pannonum, qui cum Auſtrijs, Moravis, Sileſijs, Stiris, Carniolis, Polonis, Tranſilvanis, amicam diſceptationem ineant, & ſi convenire nequeant, ſententiæ vel arbitrio ulteriori rem relinquant. Poſtulata hic quoque vini Hungarici per Auſtriam, illimitata venditio.

IX. Ut Regia Majeſtas dignitates, officia & munera, tum Eccleſiæ tum Reipubl. non intuendo religionis diſcrepantiam, Pannonibus indigenis, repudiatis omnino exteris, largiri clementiſſimè dignetur.

X. Cùm ex civilium armorum motu, leges, judiciaque locum ferè non habuerint, ea dehinc conſueto tempore ac more celebranda, ac ita inſti-

ſtituenda, ut breviori quaque via, jus ſuum cuique tribuatur. Rogata ad commodiorem litigandi, ac definiendi ordinem, nonnulla Statuta, quæ tanquam Romæ Tribunicijs interceſſionibus agitata, Regiæ Majeſtatis voluntati relicta ſunt.

XI. Sepoſita in præſentiarum gravamina, ut in Comitijs proximis planè diſcutiantur, atque hæc poſt anni lapſum Poſonij deſignentur, Status Regiam Majeſtatem implorant.

XII. Pariter Amneſtia pro exulantibus refractarijs humillimis precibus deſideratur, & ut ſpes bonorum reſtituendorum illis fiat, publicè promulgata pollicitatione.

Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Status ac Ordines, pleriſque Pannonum rebus haud permixti, tamen circa bonorum portionem hæredibus damnatorum concedendam, commerciorum quorumcunq; per Auſtriam libertatem, item ut digniores indigenæ promoveantur, & quoad negotia in Comitia proxima remiſſa, idem planè ſenſerunt. Cætera non adeo magnæ molis fuerunt, cum nulla eos in fide ſciſſura dividat.

I. Devota amplectuntur gratiarum actione, datum ſibi Pro-Regem, ſeu Banum Comitem Nicolaum Erdődium. Ad ejus autoritatem efficacius fulciendam, rogant, militiæ Banalis auctio-

 rem

rem numerum, ac ſtipendium largius: tum nitrati pulveris & tormentorum bellicorum apparatum, quibus hoſtis barbari irruptiones reprimantur.

II. Valachi & Sclavi in territorijs, ac ditione Baronum atque Nobilium degentes, qui onera ordinaria præſtare abnuunt, non permittendi, quo à dominorum jure, ſeſe emancipare queant, privilegiorum colore.

III. Tempore aperti belli, quod omnes inſurgere velint, ex patrio more promittitur.

IV. Confiniorum Præfecti, ſi ut hactenus fugitivos aliorum ſubditos receptent, uti magno variorum damno compertum eſt, ſtatuendâ legum mulctâ afficiendi.

V. Collegium Canonicorum Zagrabienſium, petit ſibi reſtitui arcem Siſecam, Germano pedite inſeſſam, qui ab injurijs vicinorum non abſtinet.

VI. Contra ſententiarum judicialium exequutiones, inhibitoria mandata non expediantur.

VII. Bona nonnulla Zrinio quondam poſſeſſa, à Præfecto Caroloſtadienſi uſurpari, cum Regni & abalienationis præſenti futuroque damno: Ea Statibus aſſignanda ad militem in limite Colapiano alendum, hactenus multo onere à provincialibus ſuſtentatum.

VIII. Finium pariter regundorum, cum Styrijs

rijs & inter ſeſe, Commiſſarij denominantur: hoc ut ratum ſit, atque ex adverſa parte itidem nuncupati, hoc negotium abſolvant, Status & Ordines inſtant.

IX. Jam pridem miles Germanus arce Varaſdinenſi exeſſe debuiſſet, qui nunc maximè emittendus. Præfectum ejusdem, exactionibus varijs, tum cauponariæ exercitio incolis gravem, coërcendum eſſe. Præſidiarios milites paſtu equorum, fæni proventum cum injuria Regnicolarum abſumere, & piſcationibus inſuetis nocere.

X. Protonotarius Croata ad Regium tribunal Tabulæ Hungaricæ cooptandus, qui devolutas illuc per appellationem lites, juxta patriæ ſtatuta & conſuetudines, declaret.

XI. Liberæ horum Regnorum Civitates queruntur turbationes, à Germanis militibus ſibi illatas, qui armata manu ſententiarum exequutionem impediunt, & in civium injuriam, tabernas vinarias inſtituunt. Atrocius læſam à Præfecto militari Segnienſem civitatem, qui prætexto mandato Conſilij Græcenſis, omnia privilegiorum documenta civibus abſtulerit. Omnia & ſingula ex legum & conſuetudinem tenore in melius mutanda.

Super hiſce gravaminam poſtulatis, die XXVII. Septemb.

Septemb. Sac. Cæſarea Regiaq; Majeſtas per Cancellariam Suam Regiam , Statibus ac Ordinibus modo inſequenti reſpondit.

Nimirùm Palatini autoritatem ſemper integram conſervatum iri, ob ejusdem illibatam ſemper fidem & merita. Par autem eſſe, ut ſtatuta de Locumtenentis vicario munere, etiam obſerventur, & Suam Majeſtatem ijs quæ ex re, ac utilitate Regni futura cenſeat, proſpecturam. Nunc Archiepiſcopum Strigonienſem laudem promeritum, quod difficili ac diuturno tempore, in oneroſo munere hoc ſuſtinendo, fidam utilemq; operum navarit.

Ad I. Poſonij in noviſſimis Comitijs conditiones pacis cum Turcis ineundæ, præcipuis Regni Conſiliarijs monſtratas ac prælectas fuiſſe. Concluſæ demum pacis Cancellariæ Hungaricæ copiam factam, ibidem in ſcrinijs inter cætera cuſtodiri. Hunc notificationis modum porrò etiam frequentandum, ſi caſus ferat. Idoneus quoque Panno admittitur, qui Reſidenti Cæſareo ad Portam Ottommannicam aſſiſtat, informationem in negotijs Regni ſuppeditaturus.

Frequentia ultroneæ ac temerariæ deditionis Turcicæ, efficacioribus quibuſq; remedijs avertenda eſt; in quem finem Ordines ſuam ſententiam

tiam exponant. Iidem nominatim exprimant, quam & qualem opem adverſus Turcam laturi ſint. Interim rata grataq; habetur, univerſalis omnium Expeditio ſeu Inſurrectio, quæ periculum præſens & futurum, tam inteſtinos, quàm externos hoſtes, bellum tam offenſivum quàm defenſivum comprehendere debet. Caſum verò, ſeu terminum extremæ neceſſitatis, planè emitti, vel Suæ Majeſtatis arbitrio, relinqui oportere. De particulari autem inſurrectione; vel alia promptiori defenſionis methodo, quamprimùm diſpiciendum. Nominent igitur Ordines ac Status ex ſuis, qui cum Cæſaris belli Conſiliarijs, in rem viſa perquirant ac diſponant.

Ad II. Diſplicuerunt Suæ Majeſtati magnopere, enarrati militum enormes exceſſus, quodque diſciplinæ vigor, tot ſerijs mandatis interminatus, langueſcat. Impoſterum id ſtatuere propoſitum, ut transgreſſores abſque nationis diſcrimine, dignis ſtatim pœnis afficiantur, & reliquorum delicta cohibeantur. Ingrata accidit Suæ Majeſtati acerba neceſſitudo, quod exercitus Germani militis in Regnum mitti, & dapſilibus expenſis, multas aureorum myriades conficientibus, ex hæreditariarum provinciarum ærario depromptis, ſuſtentari debuerint. Cùm verò hactenus temporis ac rerum

habitus, illum militem è campo ac Regno detrahi, non patiatur: Incumbere Ordinum fidelitati, ad propriam ſcilicet ſalutem tuendam ac promovendam, ut congrua ſuppetiarum media inveniant, ac ſine mora expromant. Copias autem è campo deductas, in vicinioribus ſaltem Turcis præſidijs, collocari prius non poſſe, quam ratio belli, & hoſtis conſilia ita tulerint.

Regni Palatinus non impedietur, quin pro munere ſuo agere queat: atque inter illum, & Aulæ Cæſareæ Conſilium bellicum, conſiliorum mutuum commercium ut frequentetur, neceſſum eſſe.

Contra limitum Præfectos, qui de concuſſione, & prohibita exactione vectigalium, nominatim accuſati ſunt, rigida fiet inquiſitio, & rei reperti ſeverè punientur.

Ad III. Non liquere nec evinci poſſe ex allegatis legũ Regni articulis, quod hæredibus eorum, qui crimen Majeſtatis contra perſonam Regis, & in patriæ perniciem committunt, damnaturque, portio hæreditaria permittenda ſit.

Ad IV. Supervacuum eſt repetere ac recolere, quâ urgente ratione, Germani militis copiæ, contra ſeditiosè tumultuantes, ad averruncandum Regni exitium, in Hungariam perductæ, & Re-

par-

partitionis onera ad illarum ſuſtentationem inſti-tuta fuerint. Poſtquam verò, ad humillimas Ordinum preces hujuſmodi impoſitiones jam clementiſſime ſublatæ ſint, leges ipſas dictare, & ſubditorum obſequiũ exigere, ut aliud quoddam ſubſidium, pecuniæ, commeatus, vel annonæ militaris, præſidijs ac caſtris pro Regni defenſione, & civium ſalute excubantibus, præbeatur: Ratio autē hujus præſtationis, cum Generali ductore, ac ærarij Caſſovienſis Adminiſtratore ineatur.

Ad V. Arcibus, propugnaculis, & munimen-quæ ad confiniorum ſecuritatem pertinent, providebitur; & juſtis præſidijs ut firmentur, cura erit Suæ Majeſtatis. Quænam verò loca, & quibus medijs inſtauranda ſint? belli atque ærarij adminiſtris primitus deliberandum. Siquidem nimis oneroſum & intolerabile foret, tam dapſiles ſumptus ſolummdoò Regium Fiſcum, abſque notabili Regni ſubſidio, erogare. Sac. Rom. Imperium opportuno tempore requiretur, ut liberaliter ſuccurrat. Proventus mediæ Triceſimæ, Regio arbitrio & diſpoſitioni ceſſerunt; eoſque, una ſaltem in confinijs annuatim neceſſaria ſtipendiorum exſolutio, plus quàm ſeptuplo excedit: Reliquos ſumptus ac onera, Regna & provinciæ Auſtriacæ, ex ſuis collationibus præſtant. Ad rationes tamen

ſtrictè reddendas, qui Triceſimæ & pecunijs corrogandis præfuere cogentur. An autem, & quæ denotata à Statibus loca, in confinijs à Turca occupatis; munienda ſint? id bellicæ rei expertos, cum Ordinum Regni delectis, ut ſupra dictum, diſquirere oportet. Manent interea in ſuo vigore gratuiti labores, Statuum conſenſu deſtinati.

Ad VI. Religionis negotium, poſtquam Auguſtanæ & Helveticæ Confeſſioni addicti, cum Catholicis amicabilem compoſitionem haud inierunt, Regia Majeſtas diſcernet.

Ad VII. Cùm Ordo Eccleſiaſticus contradicendo monſtraverit, ſacros etiam viros, à Fiſci Regij præſidio non prohiberi, uſus quoque antiquus & exempla id ſatis comprobent: tum hæc aliaque iſtius ſortis officia, ab unico Regis arbitrio pendeant, atque pro conditione temporum ac rerum, diverſis concredita fuerint, ulla jam mutatione opus eſſe non videtur. Cæterum vacuis impoſterum ejuſmodi munijs, eam ſubſtitutionem factum iri, qua omnis querulandi anſa præſcindatur. Porrò cùm abolitio officiorum, in Aula Cæſarea minus neceſſariorum, cœpta ſit, eandem in Regno quoq; locum habituram. Si reſtitutionem bonorum, quidam à ſeditione reſipiſcentes necdum obtinuerunt, Fiſcus ſtatim Regijs mandatis obſecundet,

&bo-

& bonorum, quæ extant vacuam poſſeſſionem, protinus tradat.

Quicunque Fiſcales adminiſtri, res mobiles pro libitu diſtraxerunt, vel in proprios uſus converterunt, cum auditi & convicti fuerint, ſevere puniantur. Redintegrationem creationemq; Magiſtratuum in civitatibus, ſecundum Conſtitutiones Regni, ſolito more & tempore peractam fuiſſe, cum Fiſcus aſſerat; in hoc acquieſcendum, donec contrarium liquido comprobetur.

Cæterùm civitatibus, uti proprio Regis peculio, ullum adferri præjudicium, Sua Majeſtas nunquàm patietur. Fiſcus in rebus dubijs & altioris indaginis, ſufficientem cauſæ cognitionem admittat, auditiſque partibus id ſtatuatur, quod juri & æquitati conſentaneum eſt. Telonariorum exceſſus comperti, ſevere caſtigentur. Commiſſa ex vectigalibus more ſolito judicantor, & Judæi amoveantor Cum circa reliqua adverſus Fiſcum mota gravamina, antiquis Regni Legibus ſat proſpectum ſit, eæ in uſum revocandæ, & obſervandæ: quibus etiam Nobilium, Civitatumq; mutuæ querimoniæ, haud difficulter tolli poſſunt.

Ad VIII. Finium & metarum controverſias diſceptaturi Commiſſarij, approbantur. Injunctum quoque Moravis, Sileſijs, ac Auſtriacis, ut ju-

ſto tempore compareant; contra abſentes enim contumaces,in cauſa procedendum. Interea quæcunq; violenta attentata inhibita ſunt. Rex Poloniæ per Ablegatum Cæſareum requiretur, ut determinationi finium, ſuos quoque Plenipotentiarios mittat. Auſtriæ Provinciales magnopere etjam querulantur, de illatis ſibi in metarum & finium æquandorum damnis. Jllorum etiam ſenſus indagabitur, circa deſideratam vini Hungarici illimitatam diſtractionem. Interim Sua Majeſtas confirmat commercium vini in Auſtriam deportandi, civitatibus alijſque locis, qui proximis annis hac facultate gaviſi ſunt.

Ad IX. In conferendis officijs ſæcularibus,& dignitatibus Eccleſiaſticis, obſervabuntur conditæ leges, in quantum longævo uſui non repugnant.

Ad X. Regiæ Majeſtati nihil magis curæ ac cordi eſt, quam ut æquabilis juſtitia ſine perſonarum reſpectu,expeditiori quaqua via in Regno adminiſtretur. Seriò id injunctum eſt Regiæ in Aula Cancellariæ, præſertim verò, ne abſq; prægnante cauſa, inhibitoria mandata concedantur. Idem curandum Regni Palatino,alijſque judicibus. Præterea intellexit Regia Majeſtas, plurimas in judicijs Regni obſervationes frequentari, quæ juſtitiam prius ſufflaminant, quam promovent: Proinde

Or-

Ordinibus expendendum, annon recens judicialis Ordinatio temporibus congrua, per delectos concinnanda, & Suæ Majeſtati ad rati habitionem porrigenda ſit?

Ad XI. Ut reſiduorum quoque gravaminum ratio habeatur, hiſce Comitijs feliciter ad finem perductis, nova Poſonij celebrabuntur: niſi Regni ſecuritas, aliaque fortè emergentia negotia, diverſum ſuadeant.

Ad XII. Qui in reatu adhuc exiſtunt, ſi intra ſpatium duorum menſium reſipuerint, atque ad debitam obedientiam redierint, clementiam Regiæ Majeſtatis re ipſa experturi ſunt.

Ad gravamina Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ.

I. Pollicetur Regia Majeſtas, quòd horum Regnorum publicam ſalutem, & tranquillitatem, ſingulari cura velit complecti, ac promovere. Ad augendum autem militiæ Banalis numerum, à Statibus & Ordinibus, prout ab Ungaris, ulteriorem quoad modum Inſurrectionis declarationem, præſtolatur. Interim debitis locis, deſideratus pulvis tormentarius, reliquaq; munimentorum requiſita, ſuppeditabuntur.

II. Cum in prioribus Comitijs Commiſſio de redu-

reductione Valachorum ordinata, effectum haud ſortita fuerit, ex parte horum Regnorum, tum Styriæ, hæc quæſtio reſumenda, & determinanda eſt. Quod ſi quædam Valachis contra juris tramitem, & in præjudicium aliorum privilegia conceſſa ſint, ea aboleantur. Si decimas, aliaque onera ſubditis incumbentia, detrectant Valachi, videndum quid uſu receptum: nec permittet Sua Majeſtas, ut ab antiqua conſuetudine recedatur. Scelera demum & delicta à Valachis patrata, graviſſimis pœnis caſtigentur.

III. Methodus, ac modus Inſurrectionum militarium, à Statibus planè exprimendus eſt.

IV. Fugitivos aliorum ſubditos nemo recipiat, vel foveat: Tranſgreſſores pro qualitate delicti, ac circumſtantiarum, pœna condigna adficiendi.

V. Poſtquam Regia Majeſtas circa arcem Siſecam, pleniorem informationem obtinuerit, juxta humillimas preces Epiſcopi & Capituli Zagrabienſis, benignitatem ſuam demonſtrabit. Præſertim quod Epiſcopus & Capitulum, munimentum hoc proprijs ſumptibus, reſtaurare, & præſidio firmare promittant.

VI. Inhibitoriales literæ jam ſupra abolitæ; Reſponſum itidem, ad promotiones peregrinorum, quæ indifferenter jam olim uſitatæ.

VII.

VII. Bona Zriniana, & Frangepaniana Fiſcalia, ad Sacram Regni Coronam, perindeq; collationem Regiam devoluta erant: Sua Majeſtas idcircò, jam diſpoſuit de illis, ſalva Regni jurisdictione, ut nullum inde Statibus præjudicium oriturum ſit.

VIII. Non diſplicet Suæ Majeſtati, ut Status & Ordines, tam Croatiæ & Sclavoniæ, quàm Styriæ, contra Commiſſarios nuperos gravatos ſe exiſtimantes, materiam finium & metarum denuo examinent; quò id quod æquum & juſtum eſt, ſtatuatur.

IX. Miles Germanus, ex Varaſdienſi præſidio omninò abducetur. Paſcendi ordo ita inſtituendus, ne Regnicolis damnum inferatur.

Militum utriuſque nationis licentiam, injurias atque exceſſus, qui hinc inde in Regnicolas Croatiæ ac Sclavoniæ, nec non Status & ſubditos Styriæ, patrati fuerunt, ſeriò inhibere vult Sac. Regia Majeſtas, atque in transgreſſores ſeverè animadvertere. Pro milite autem Colapiano, auctio mediæ Triceſimæ manet.

X. Annuit Sua Majeſtas, ut Magiſter Protonotariorum ex inclytis Croatiæ, Dalmatiæ ac Sclavoniæ Regnis, in ordinarijs & extraordinarijs judi-

cijs, in Tabulæ Regiæ tribunali aſſideat, & officium ſuum cum cæteris ritè peragat.

XI. Nunquam permittet Sua Majeſtas, ut Ordines horum Regnorum, ſpeciatim verò Segnienſes, in ſuis turbentur juribus, uti jam ſatis expoſitum. Ad reliqua cum Hungaris communia poſtulata, uti ſunt portio hæreditatis liberis reorum Majeſtatis prætenſa; proxima Comitiorum promulgatio; Amneſtia exulantium; in ſuperioribus reſponſum.

Talis igitur fuit primus negotiorum habitus conſpectuſque. Tandem aliquando ut ederent partum hunc, Pannoniæ Ordines, quarto menſe magno niſu moliti ſunt. Hinc apparet, quâ longanimitate ac moderationis Clementia Cæſarea Regiaque Majeſtas tractatuum moram, flagitandique arrogantiam & pertinaciam tulerit. Siquidem Status & Ordines libertatis ſuæ juribus, anxijs, ſi non ſuperſtitioſis ſæpe ſuſpicionibus proſpicere voluiſſe, frequentiores replicæ & ſupplicationes affatim oſtendunt. Poſtquam enim Comitis Palatini Eſterhazy meritorum, & illibatæ ſemper fidei mentio, fortè injecta eſſet; ſtatim hoc præconium interpretando torquere voluerunt, quaſi redintegratio ſupremi Magiſtratus, unius prerſonæ intuitu, non in rem Regni facta foret: Et dum hoc munus vacaret,

caret, omnem Locumtenentis ſubſidiariam operam, donec Palatinus noviter ſufficeretur, penitùs abrogari poſcebant. Cùm tamen prius, ſedulo etiam verborum aucupio, ex Cæſareo Reſponſo excludi haud poſſet: hoc verò, legibus proviſum antiquitus, & uſu ſat comprobatum eſſet: Univerſalem delectum Regni, ſive Inſurrectionis neceſſitatem, ita acceperunt, ſi hoſtis propugnaculum quoddam obſideat, vel juſto exercitu patriam invadat, vel munimentum Regni recuperandum ſit; non aliter tamen quam ſedatis motibus, qui jam patriam divexant. Particularem verò Inſurrectionem conſilium Hungarorum metiretur ex legum tenore. Poſtulabantur à Regia Majeſtate, defenſionis methodum deliberaturi cum Germanis belli Ducibus, Hungarorum delecti: quod tamen ad Comitiorum conſeſſum unicè pertinere rati ſunt, alioquin in diminutionem libertatis redundaturum. Quaſi verò conſilia paucis agitata cunctis revelari haud debuiſſent: Cùm in numeroſa concione bellorum ratio, quæ vix ſingulis conſtat, explicatu difficilis ſit. Acri contentione Nobiles à judiciorum vigore & nervo vendicabantur, ne in cuſtodiam reciperentur, niſi criminum ſufficienter convicti prius; effugij latebras facilè tum quæſituri, ni ſibi deeſſe vellent. Contra Fiſcum Regium, in occu-

 patio-

patione bonorum Fiſcalium & caducitati obnoxiorum, magnæ etiam cautelæ quæſitæ. Pro liberis Majeſtatis damnatorum (quanquam in hoc genere delicti anceps, & Romanis legibus, aliarumq; gentium uſu, vetita interventio ſit) cùm Ordines laborare pergerent; Cæſ Regiaq; Majeſtas, ſecuros eos eſſe juſſit, quod gratiam & benignitatem Suam, haud fruſtra imploraturi eſſent. Neq; in Sacris, quæ ſtatuebantur, & mox ſequuntur, vel Catholicis, vel Evangelicis ad palatum fuere. Pari vehementia Germanorum à muneribus quibuſcunque, & præcipue Fiſci Præſidis aſſiſtentiumque, abdicatio vel proſcriptio quæſita; deinde militis Germani è Regno deductio: quaſi Hungariam exteri ſemper labefactaſſent. Ingenti ardore hoc ſatagêre Ordines, immemores quantum æris & ſanguinis Germania, in Pannonum ſubſidium & ſalutem largiter profuderit. Demum ægre, vix paſſi ſunt Status, ut peregrinæ penes ſe reſiduæ copiæ, commeatus & annonæ partem impetrarent. Cætera quæ de finibus judicijſque regundis, ac privatorum deſiderijs, agitata ſunt, poſtquam ex concluſis Comitiorum articulis pateſcant, hic ſingula perſequi, tædium legenti ferret. Nunc ad ſacrum religionis ſcopulum hærendum nobis eſt, qui humanas mentes fatali lapſu collidere ſolet. Sacra Cæſarea Regiaque Maje-

Majeſtas, ut in portum ex fluctibus Reipubl. navim deduceret; ſanxerat die VIII. menſis Octobris, & per Vice-Palatinum, Regni civibus ſcripto comprehenſas, rerum religionis conditiones aperuerat. Quæ deinde pleniore & liquidiore ſenſu declaratæ, Statibus ac Ordinibus iterum traditæ fuerunt, ne alicujus ambiguitatis metus ſuſpicabundos maceraret.

I. Scilicet ut pacificatio Viennenſis Anni 1608. integra, maximo in primo articulo utramque religionem concernente, rata firmaque cenſeretur.

II. Singuli Status & Ordines, Romano-Catholici, tum Confeſſioni Auguſtanæ, vel Helveticæ addicti, ſive ſint Magnates & Nobiles, ſive liberarum Civitatum incolæ, oppida etiam privilegiata ad Coronam ſpectantia, parirer milites & Pannones indigenæ in confinijs commorantes, in ea quàm modo profitentur religione, liberè abſq; ulla turbatione permaneant: ac in violatores ſublato religionis diſcrimine, ſevere animadvertendum.

III. Auguſtanæ, ac Helveticæ Confeſſionibus dediti, ad alias ſibi contrarias ceremonias non compellantur; caveant autem ne publicum præbeant ſcandalum.

IV. Ultra hanc religionis libertatem, liberum

etiam religionis exercitium , dictas Confeſſiones ſequentibus conceſſum ſit : ſalvo tamen jure Catholicorum Dominorum (qui terreſtres dicuntur) in quorum bonis & finibus habitant. Par ratio erit eorum Dominorum qui memoratas Confeſſiones ſectantur. Quod ſi mixta ſint Dominorum utriuſque religionis jura, maneat quiſque in poſſeſſione templorum, quæ hoc tempore reperitur.

V. In locis ubi liber religionis uſus viget, non licebit Parochos & Paſtores Eccleſiarum ob religionem amovere, turbare, aut expellere.

VI. Nulla ampliùs templorum occupationes fiant.

VII. Propter bonum pacis, ac ut litium infinitarum anſa præcludatur, illa templa atque Eccleſiæ, tum reditus ac proventus eo pertinentes, quæ ab initio anni 1670. occupata fuerunt, poſſeſſoribus relinquuntur.

VIII. Poſonienſibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis, liceat ſuis ſumptibus, in ſuburbio & loco deſignando, ædificare templum.

IX. Civitas Semproniensis maneat in poſſeſſione & exercitio ſuæ religionis, quàm modo profitetur, nec in hoc turbetur.

X. Reliquis etiam liberis Civitatibus pro ſingulis templis ædificandis, certa loca deſignabuntur.

XI. In

XI. In unoquoq; Comitatu permittitur Auguſtanæ Confeſſionis ſequacibus, nec non illis qui ſub horum nomine comprehenduntur, facultas ædificandi templum, & in eo exercitium religionis habendi, ſi in illo Comitatu non poſſident ullum aliud templum.

XII. Licitum pariter erit Magnatibus & Nobilibus, qui Auguſtanam, vel Helveticam religionem profitentur, & in ſuis Arcibus habitant, Oratoria & Sacella pro exercitio ſuæ religionis erigere.

XIII. Cum Romano Catholicis meritò ſit, aut eſſe debeat in univerſo Regno liberum ſuæ religionis exercitium & uſus; ideò hi nullo modo aut tempore, nulloq; loco, in hoc exercitio, vel jam turbentur, vel impoſterum impediantur.

XIV. Si futuris temporibus gravamina, vel diſſidia in negotio religionis emergerent, ea nunquam armis, ſed auditis partibus à Regia Majeſtate determinentur.

XV. Sub gravi Sac. Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis indignatione, nemo auſit alterius partis religionem, aut ejus aſſeclas, convitijs vel ſcommatibus proſcindere. Siquidem Sua Majeſtas omnes & ſingulos, ſine religionis diſcrimine adverſus vim & injuriam Clementiſſime proteget, & in turbatores ſevêre animadvertet. Quæ tamen ita conceſſa

ceſſa intelligantur , ut Auguſtanæ , & Helveticæ Confeſſionis ſectatores, quiete & pacifice vivant, & prout alios fideles ſubditos decet, debitam obedientiam Regi ſuo præſtent.

Sanctionis hujus fructus multum infra ſpem ſubſtitit, quam de ea pleriq; conceperant. Proteſtantes enim Auguſtanæ Confeſſionis , pinguiores longè conditiones ſibi finxerant, intendebanturq; eorum vota, poſtquam exules refractarij, Tranſylvano & Turcis auxiliatoribus, ſuperioris Pannoniæ provinciam irrupiſſent, capto uno & altero ignobiliori propugnaculo. Lætabantur etiam occultiore ſenſu, cum fines Imperij Germanici, in Rheni ripa carpi audirent; procliviora quæquè ſuis rebus inde pollicentes. Palàm autem queſti ſunt, quòd publica quidem religionis conceſſa venia, alia rurſum via infringeretur, cum tot templis eorumquè proventibus exutos, nudus quaſi Numinis cultus & inanis maneret, à tot calamitatibus jam oppreſſis, ægrè in uſum revocandus. Novam templorum exſtruendorum datam facultatem, verborum liberalitatem eſſe , rerum vacuam. Opimiora ſibi ex legibus Regni dudum obveniſſe, & nunc reddi debere. Vim & coactionem redolere conceſſionis parcitatem, illam verò à Chriſtianorum conſcientijs abeſſe oportere. Non religionis eſſe,

co-

cogere religionem, quæ ſpontè ſuſcipi debeat, non vi & injuriis, cum hoſtiæ ab animo lubente poſtulentur. Neque etiam communi tranquillitati, & concilianda mutua fiducia animis, ſuffecturam eſſe pacis legem, amovendis turbis deſtinatam, ſi Optimatũ ſolummodo libertati providens, duriſſimæ conſcientiarum ſervituti plebem & ſubditos addicat. Nulla ratione turbata componi, & divulſa coërceri poſſe, niſi unuſquiſq; integrum habeat, non ſaltem credendi arbitrium, ſed etiam uſum & fructum divini cultus. Denique omnem ablata recuperandi rationem, juſtam & æquam cenſeri.

Ex adverſo Catholici, & maximè Clerus dolebant, quod neceſſariam patriæ tranquillitatem, Evangelici immodica cupiditate tardare niterentur. Id cum jam olim agitaſſent, neceſſitate temporum expreſſiſſe, rerum & bonorum ſacrorum uſurpationem, quàm verò Eccleſiaſtici perpetua contradictione impugnaverint. Evangelicos ſcilicet ſemel receptos, ſtatim veteres patronos ejeciſſe, aut continuis turbis afflictaſſe. Superiorem Pannoniam ferme totam, à novitia doctrina inſideri & obtineri, nec tamen luculentis conditionibus illos acquieſcere, neque abſtinere à Catholicorum juribus invadendis, quanquam ſacris duarum tabularum legibus prohibeantur, alienis inhiare.

Templa eorumq́; patrimonia & reditus, non magis Sacerdotibus Catholicis quam Deo erepta; Evangelicos nullo jure repetere, cum ſpoliato Numini reddita ſint. Diſcordare nunc eos, & ut minora votis ſuis aſpernari, ſi non cuncta Catholicorum bona ſibi aſſerant. Nullis limitibus ipſorum aviditatem ſubſiſtere, in Deum hominesq́; pariter audacem. Nimia jam illis conceſſa, cum factum poſſeſſionis quæ illis ampliſſima, non poſſeſſorum jura reſpici debere ſtatutum fuerit. Si iniquum cenſeatur hominem bonis terriſvè ſuis exigere, quanto illicitum & impium magis, in Dei cauſa liberalem eſſe, ac de avitis Eccleſiæ dicatis bonis, quidquam largiri. Evangelicos neque juſtitiæ, neque caritatis tolerantes, barbarorum etiam hoſtium armis ac viribus, omnia pervincere laborare; contra quos honeſtius ſanctiuſque impetum effunderent, quam in Catholicorum necem ac excidium, ad patriæ ſuumque ſervitium, arma partim ferant, partim exſtimulent & votis complectantur.

Inter ſacras haſce ſimultates, quanquam concilio intereſſe aliquoties dedignarentur Evangelici, ſtrenuè tamen id actum tandem, ut reliqua civilium rerum materies exantlaretur. Die igitur XVIII. Novembris Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis benigna & poſtrema Comitialis declaratio, congregatis

in

in domo Provinciali omnibus Regni Statibus & Ordinibus, à ſuperius jam memoratis, COMITE NOSTIZIO ET BARONE HOCHERO, illo Boëmiæ, hoc Auſtriæ Cancellario, utroque Conſiliario intimo, ſcripto codicillo tradita fuit. Qui cum in Senatus Regni conſeſſum, uti antea reverenter excepti, veniſſent, CANCELLARIUS HOCHERUS (Vir omni laude cumulatiſſimus, de cujus admirandis dotibus, nihil tam ſplendidè dici poteſt, ut ad ſublimitatem meritorum aſſurgat) pro ea qua pollet facundia, præmiſſis honorificis compellationibus, diſſeruit.

Meminiſtis inclyti Pannones, quod SAC: CÆS: REGIAQUE MAJESTAS, poſtquam ſalutem & felicitatem veſtram curatura, ante aliquot menſes Regnum & Comitia hæc ſolennia ingreſſa fuit, haud languidiore affectu, quam qui patrum in filios eſſe ſolet, vos omnes ac ſingulos complexa ſit. Qua æquanimitate poſtulata veſtra audierit, qua moderationis clementia deſiderijs veſtris ut ſatisfieret, laboraverit,

verit, neminem Veſtrum latet. Nunc ergo quam maximè perſuaſa eſt SUA MAJESTAS, quod votorum ſum̃am attigeritis, poſtquam vobis omnia liberaliter largita eſt, quæ ſalvo Regiæ dignitatis faſtigio tribui potuerunt. Quieta pax Cæli filia eſt, bonorum omnium diſpenſatrix, in cujus amplexus jam venire vobis licet, damnatis pulſiſque inteſtinorum odiorum motibus. Etenim libertas præcipua dos humanæ conditionis, Hungarorum propria eſt, qui ab antiquo dulciſſimo hoc nomine gloriati ſunt: quam cum temerari & coarctari crederetis, nunc integram, ſartam tectamq́; , ſub mitiſſimi Regis auſpicio Dominoq́; experiri poteſtis, & niſi lucem Soli meridiano negantes, palam agnoſcere & profiteri debetis. Auguſtiſſimus LEOPOLDUS ingenio

.io ſuo proclivis ad manſuetudinem & clementiam, pæne Majeſtatis obliviſcitur, ut votis ac precibus veſtris annuat. A primordio Comitiorum, poſtulabatur patriæ Palladium, Palatinus: Unanimi Veſtrum conſenſu & ſuffragijs electus & creatus fuit, Comes Paulus Eſterhaſius, qui ſupremum Magiſtratum inivit, & munere ſuo fungitur illibatè. Neq; Gubernator, quemadmodum multoties olim & nuper, neq; Locumtenens autoritatem muneris amplius obſcurat. Germanum militem, contra ſeditioſos tumultus, in Regni viſcera provocavit, dura neceſſitas, ad aſſerendum Majeſtatis faſtigium, & propugnandum fidelium ſubditorum incolumitatem: Exercitus autem abſq; ſtipendijs, ut corpus ſine ſpiritu, eſſe non potnit. Hinc natum Re-

partitionis onus, ipſa vocabuli novitate vobis infenſum infeſtumq́; : Aſt jam tum abolitum & extinctum, tametſi armis vos, fortunaſq́; veſtras quotidie tueri oporteat. Cæſareæ itaq́; & Regiæ Clementiæ debetis, quod tanquam inſigne Pannonum libertatis decus & gloriam, coram aliis populis jactare & prædicare licet, Vobis non tributa, ſed viros, expeditionem & aciem indici. Quis non maximi æſtimet, Hungaros oneribus contributionum exemptos, in uſum duntaxat præliorum ſeponi, velut tela atq́; arma bellis reſervantur. Manent equidem Vectigalium Triceſimæ & Indictiones antiquitus uſitatæ, quod Reipubl. nervi ſint; ita verò imposterum Regio juſſu moderandæ, ut ornamenta pacis & ſubſidia belli inde extruantur. Fiſci injuriæ, ſi quædam

reperiuntur, abolentur penitus; neq; Procurator ejuſdem bonorum ad ſe devolutas poſſeſſiones, aliter quàm per juris tramitem occupare poterit: damna etiam data ſarcire debebit. Legum quippe patriarum vigor redintegratus eſt, ut priſco ſuetoq; more jus ſuum cuiq; tribuatur. Quæcunq; contra juris & juſtitiæ normam, motuum hac tempeſtate acta & peracta fuerunt, irrita & nulla decernuntur, nunquam profecto in exemplum itura. Flagitaſtis ut Germanus miles, cujus ſanguis alioquin in veſtrûm tutelam multipliciter conſumptus, Regni finibus excedat: Atquè is quantum pericula hujus temporis, & Veſtra ſecuritas patiuntur, in procinctu eſt, ut hyberna in Moravia, Auſtria & Sileſia capiat. Qui in Regno reſiduus manet, ſub rigidiſſima Palatini & Du-
cum

cum militiæ diſciplina, pro ſalute Veſtra excubias aget; utquè beneficij plenitudinem agnoſcatis, Cæſaris ærarium ſuſtentationem illius apprime luet. Ex Hungaris lectus limitaneus miles, copioſiore numero ſcribetur, ſumptus & ſtipendia illi majore ex parte Regio Fiſco erogante. Petijſtis ut Religionis controverſia, quæ acerrimis ſtimulis hominum mentes exagitat, Regia autoritate ſopiretur: Et ſtatutum providenter, ut uſus ſacrorum publice licitus ita frequentetur, ne ulteriora inde ſcandala vel motus exoriri queant, & quiſquè religionis profeſſione ſua illibate fruatur. Intenſis precibus deſideraſtis, ut perduellionis damnatorum liberis, pars bonorum reſtituatur: Ecce quibus aliarum mores gentium, paterna veſtigia verentes, vitam quoquè

& ſpiritum expreſſerunt, illis indulgentiſſimi Regis benignitas, gratiæ & liberalitatis fores patefecit, pollicita, nemini præcluſam eſſe Clementiæ aram, dummodo ſupplices illuc confugerint. Nihil à Regia Majeſtate cupidius ambitur quam ignoſcendi gloria. Quamvis obſtinati exules in almæ genitricis & patriæ viſcera, ejurata omni ſceptri reverentia, crudeliter & nefarie ſævierint; Amneſtia condita ſontes & noxios, tanquam læſus & offenſus pater filios, in gratiam recipit, dummodo in officij & obſequij viam revertantur. Fida & æterna oblivione deletur, omnis memoria ſuperiorum culparum non ſolùm; ſed pœnitentiæ præmium fortunas & patrimonia ferunt, extrema quæquè promeriti. Singulorum ſaltem vota, privatæ

rationes & deſideria, in proxima Comitia differi, publica nunc præpollens utilitas ſuadet jubetquè. Non cadit uno ictu arbor quæ altas radices egit; nequè inſimul emendari poſſunt, tot annorum abuſu inolita. Nequè ſordibus omnibus Rempubl. illico purgare facilius, quam domum rimis multorum annorum hiſcentem, primo nitori uno momento reſtituere. Nunc igitur Vos obteſtor inclyti Pannones, reputate cum animis veſtris & ſeria æſtimatione, relictis exulceratæ mentis ſuſpicionibus, expendite; quæ quantaquè precibus Veſtris evictus indulſerit AUGUSTISSIMUS IMPERATOR REX & DOMINUS VESTER, communis omnium parens, paſtor populi, Patriæ & Regni Aſſertor. Arquatis omnia lutei coloris apparent,

quæ-

quæcunq; oculis obverſantur, propter læſam videndi facultatem: ſimiliter ijs, qui raptantur ab impotenti affectu, non adeſt recti judicium, ſed perinde res æſtimant, ut ſuadet opinio, quam penitùs animis inbiberunt. Veſter autem animus fortis & prudens, incluti Status & Ordines, aliam & Regiam viam ſequatur. Poſſidetis videlicet aureæ libertatis Veſtræ jura, non nomine, ſed reapſe: Non umbram & imaginem avitæ gloriæ, ſed virtutem & vim legum ab antiquo ſacitarum, novo confirmationis robore fulcitam obtinetis. Scio equidem maleferiatorum rumuſculos, paſſim per ora famæ diffundi; omnia cumulate à Germanis promitti, aſt nunquam impletum iri, quæ temporis duntaxat ratione conceſſa ſint. Inexpiabili certè culpa inclyti Pannones, contra
 piam

piam AUGUSTISSIMI CÆSARIS indolem, contra ſanctum & candidum magnanimi Regis pectus illud calumniæ telum dirigitur. Abſit à bonis civibus, vanis & falſis ſuſpicionibus Regis ſinceram mentem labefactare, & in diſcrimen trahere. Noviſtis quod ab artificijs nefarijs peregrinorum Principum, vicinorumque ſuſurronum conſutis dolis, hæ famigerationes proficiſcantur; obſtruendæ illis aures, cùm id ſatagere aggreſſi ſint, ut Vos in turbas & ærumnas inexplicabiles exſtimulent, & Hungariam Veſtris manibus ſuo furori immolent. Pertinaciter Exules, nefandos illos emiſſarios, ut ſuaves luſciniolas, quibus nunquam cantus deerit, hactenus auſcultarunt. Si vos qui inſaniam illorum damnaſtis, ſuſpicioſæ mentis ægritudinem procul habetis,

betis, exemplum ad mutationem conſilij præibitis, ut repudiata adulterina militia, ad juſtum Regis imperium tanquam in portum tutiſſimum vela contrahant & convertant. Neque deſpero quin illud meditentur, & quamprimùm facturi ſint, quum inviolandæ libertatis nomen, pervicaciæ ſuæ authoramentum ſumpſerint: Et nunc cunctas avitæ libertatis prærogativas integras & incolumes ſibi fore ſenſerint. Nulla peſtilentior tabes eſt, quam inteſtinum cives inter odium. Nolitis ſaltem diſcordi libertate laſcivire, quæ tanquam gladius eſt in manu furioſi, niſi moderatè homines & temperatè utantur. Mementote quemadmodum peſſimis Regibus ſine fine dominationem, ita quamvis egredijs modum libertatis placere. Si libet, licet omnibus, ſub umbra ſecuræ liber-
 tatis,

tatis, & dulci ſanctarum Legum jugo quieſcere, quibus qui ſervit, verè liber eſt. Satis jam, ſatis ſententijs & ſuffragijs invicem velitati eſtis. Nunc in cauſam ipſam deſcendendum, oſtendendum, quod contenderitis ad metam publicæ tranquillitatis & ſalutis, quæ in fidei & obſequij erga Regem cuſtodia, atque in Sceptri reverentia ſita eſt. In hoc rerum cardine rapienda eſt patriæ bene conſulendi occaſio. Sanè SUA MAJESTAS nihil indignum ſublimi Regis faſtigio largiri, aut faſces imperij veſtro arbitrio ſubmittere poteſt. Neq; vos quidpiam incivile & inverecundum, flagitare velle autumo. Agite idcirco, amplectimi ambabus ulnis, quod indulgentiſſima REGIÆ MAJESTATIS dècretoria ſententia vobis offert. Ultimam promptè manum hiſce Comi-
tijs

tijs imponite; facto non non conſulto opus eſt: Perijt Saguntus dum Romæ curiam Patres verbis implerent. Sine mora abſolvenda deliberationum ſeries, cùm REGIA MAJESTAS hinc brevi proficiſcendi conſilium capeſſat, quo reliquis urgentibus S. Imperij negotijs conſulere queat. Deſignata jam proximè Comitia ſecundiore auſpicio reſumentur, ſi unanimis Veſter conſenſus, & colophonium ſaffragium, præſentia terminaverit. Regios AUGUSTISSIMI LEOPOLDI exantlatos labores, curas & ſollicitudines, devoto gratiſſimoq; animo agnoſcunt, colunt & venerantur Regni Maximates, ſibi & patriæ abundè conſultum & ſatisfactum profitentes, Regijſque declarationibus comiter acquieſcunt. Idem ut reliquus Ordo ſentiat, ut morigerum ſe oſten-

oſtendat, boni viri & boni civis officium exigit, & ipſius rei æquitas, tum tot illuſtria argumenta perſuadent & poſtulant. Id ſupereſt, ut communi conſpiranteque omnium voto & ſtudio, articulorum ſtatutorum confectioni incumbatis. Libertas non in pertinacia, ſed in moderatione conſiſtit: & pro cynoſura habet auream mediocritatis legem. Abiturus quidem eſt IMPERATOR AUGUSTISSIMUS, ſed animo redeundi; & tam abſens quàm præſens, REGIÆ MAJESTATIS benevolentia, benignitate, paternoq́; amore & affectu, Vos omnes & ſingulos, incluti Pannones, perpetim fovebit ac complectetur.

Hanc orationem nixam viribus immotæ veritatis, & rationibus haud dubiæ certitudinis, Palatini Regni reſponſio excepit. Hic Cæſ. Regiæque Majeſtatis benignitati gratias agens, deplorandum

& un-

& undiq; lapſabundum Regni ſtatum, enixè commendavit: Atque prolixas deliberationum ambages, moras, ſumptuum & temporis jacturam, excuſavit; tædia etiam, & faſtidia deprecatus eſt. Haud aliter fieri potuiſſe, ob arduam rerum molem. Nunc verò eo acrius opem, & operam collaturos omnes, ut ſi abitum SUA MAJESTAS parumper differre dignetur, cuncta ad optatum tranquillumq; finem perducantur.

Digreſſi cum eſſent Cæſarei Miniſtri, inclyti Status & Ordines Regni, contemplantes imminentem Imperatoris abitum, & quod AUGUSTAM eo venerationis officio hactenus non percoluiſſent, quod omnium ora & vota, expertæ humanitati & benevolentiæ deſtinârant: Conſilium iniere patrio diademate SUAM MAJESTATEM quamprimum coronandi. Cùm in curiata ſuffragia iri cœptũ, rogatione haud opus eſſe apparuit. Præcipere & antevertere omnes ac ſinguli, viritim edendas voces; plaudere, lætari, feſtivis augurijs; perſonare omnia fauſtis acclamationibus, ut FELIX, PIA, AUGUSTA ELEONORA MAGDALENA TERESIA, HUNGARIÆ REGINA, viveret! regnaret! perennaret! Excitati & attoniti quid inſolitus portenderet ſtrepitus, in vicinia habitantes, maximè cum tympanorum

M & tu-

& tubarum clangores, vociferationibus miſceri audiviſſent; tum & ipſi in plauſus effuſi, propitiam latè famam ſpargebant, lætitiâ omnium animos ita pulſante, ut tota civitas jucundo hoc nuntio exultaret. Gaudij impetus Procerum plurimos in Aulam tulerat, ubi SACRÆ CÆS. REGIÆQUE MAJESTATI, repentinæ argumentum hilaritatis Regni Palatinus ſubmiſsè explicuit, petiitque ut aſſentiretur fidelium ſubditorum ſtudiis; Vellet juberetque AUGUSTAM CONJUGEM PANNONIÆ REGINAM patrio diademate redimiri. Id cum haud difficulter impetraſſet benignè auditus, dies IX. ſequuturi menſis, ſtatim dictus fuit celebritati Coronationis. Tertia abhinc luce, repetitis precibus omnium Statuum ac Ordinum Delecti, Cæſarem rogaverunt, ut AUGUSTAM inaugurari ſibi liceret. Qui mox ipſam ſupplices adiverunt, & Antiſtite omnium ore loquente; MAJESTATI SUÆ cunctorum civium devota pectora, ſtudia, voluntates & promptiſſimum obſequium deferebant; Inſtabant ut diadema, quod inclyti Majores Palatinæ gentis, in Germano Imperio aliiſque Regnis geſtaſſent, ipſa à Pannonibus rurſum reſumeret, & Angelicæ Coronæ auſpicio, alias etiam ſocias attraheret, ut efficaciori tutela fideles ſubjectos deinceps foveret.

Augu-

Auguſta Latij ſermonis ſat gnara, Germanica tamen lingua, gratias devoto Ordinum adfectui agens, quæ ſuam modeſtiam decebant, reſpondit, benignitatis & gratiæ propenſionem illis viciſſim pollicita.

Calebat interea Coronationis apparatus, cujus cura & ordinatio, Supremo Aulæ Mareſchallo COMITI ALBERTO ZINZENDORFFIO. (abſente Comite Lambergio, Supremo Aulæ Præfecto) impoſita fuit: qui ſolidis virtutibus, & acerrimo judicij acumine promptus, per omnes dignitatum Aulicarum gradus, Prætorij Præfecturæ apicem conſcendit, eumque incomparabili dexteritatis laude tuetur. Is igitur ſollicite ſategit, ut cuncta ſolenniori quovis ritu peragerentur, tametſi & temporis, & loci anguſtia, diligentiæ laborem ſæpè attenuaret. Initium operis fuit Sacræ Coronæ Hungaricæ, Poſonio Sempronium advectio, illic enim anxiè depoſita religiosè cuſtoditur. Sanctimonia Regij diadematis Pannonibus oppidò plana & aperta eſt; ſanctumque ſuum ſydus merito nuncupant, quòd cum Chriſtianæ fidei luce illis exortum eſt. Exteri etiam mirari deſinent, ſi meminiſſe volupe eſt, primo è Chriſtianis Hungariæ Regi ejuſque ad Getas & Sarmatas uſque propagatori S. STEPHANO coronam hanc à Ro-

mano Pontifice, qui illam Polono Duci Miſconi deſtinaverat, Angelo nocturno Dei internuntio, commonito, anno æræ Chriſtianæ milleſimo, dono tranſmiſſam impoſitamque fuiſſe. Vindiciæ ſanè hujus theſauri, innumerabilium vita & ſanguine civium, Hungaris ſteterunt. Ipſa verò S. Corona inter tot bellorum, & inteſtinorum motuum fluctus, ac periculorum tempeſtates, ad hæc uſque tempora miraculosè conſervata, atque ex Solymanni Pannoniæ everſoris, truculentis manibus erepta, feliciter ſupereſt. Quemadmodum de Sacræ Coronæ Regni Hungariæ, ortu, virtute, victoria, fortunà, peculiarem Commentarium edidit Petrus de Reva Comes Turocienſis, anno hujus ſæculi XIII. quem uberiora deſiderans, conſulet. A tempore D. Matthiæ Cæſaris, & Hungariæ Regis, S. Corona domicilium ſuum habuit, in validiſſima turri Caſtri Poſonienſis, Tunc etiam creati ex patriæ dynaſtis Conſervatores duo, qui adhibitâ Germanorum, & Haidonum centuriâ, cuſtodiæ inæſtimabilis theſauri invigilarent. Et licèt hi Duumviri, horrendo jurisjurandi carmine diligentiam ſuam adſtrinxerint, fas tamen illis non eſt, Coronam loco movere, vel inſpiciendam cuicunque præbere, citra Regium aſſenſum. Proinde omnium Regni Ordinum Delecti adſciſcuntur,

quo-

quoties Coronationis Regiæ celebritas expoſcit, ut S. Corona in lucem perducatur. Exemplis tamen etiam comprobatum eſt,quod ſoli Conſervatorum fidei relictum fuerit , S. Coronam Poſonio aliorſum transferre , Regio mandato id ita exigente. Proinde hodierni Conſervatores , Stephanus Zichy , & Chriſtophorus Erdődi Comites, prima Decemb. Poſonium abiêre , fiduciariis Regiæ Majeſtatis, tum Palatini Regni literis muniti, Coronam allaturi. Mox ſequutæ illos turmæ loricatorum equitum è Legione Palffyana, quæ Sacrum Regni pignus in Danubii ripa exceptum in itinere comitarentur. Tum pedites Germani, & Hungari, qui excubias quotidianas in caſtro Poſonienſi agentes , nunc peregrinanti ac diverſanti præſidio eſſent, iique ex more novis donati ſunt veſtibus. Hoc modo S. Corona in arca ferrea obſignata,cum Regalibus inſigniis rhedæ ſejugi impoſita,Sempronium deducebatur.

Interea Comes Palatinus Regni die v. Decembris Proceres & Nobiles Germanos invitavit , ut pompaticæ S. Coronæ deductioni intereſſe vellent. Hungaris denuntiavit, ut ſolenni venerationis officio, S. Coronam libertatis, & fortunæ ſuæ Palladium, præirent, ac comitarentur. Utriq; haud ſegnes in tanto publici gaudii ſenſu, in vicinum præ-

urbio campum ſe contulerunt. Quicquid hinc viarum eſt, intuentium & comitantium ſeries, uno examine obtexit. In urbe Matronæ, Virgines nobiles, ac reliqua utriuſque ſexus ætas, per compita viaſque feneſtras impleverant, ut ſpectaculi lætitiâ Hungari in ſolidum potirentur, Germani in partem venirent. Delegerat Cæſar qui S. Coronam exciperent, & adſidendo comitarentur, Conſiliarios intimos FRANCISCUM AUGUSTINUM COMITEM WALTSTEINIUM, omni genere virtutum excellentem, & ZDENKONEM CAPLIRIUM, qui, carpentum ab Aula recenter ſuppeditatum, ſtragulis ex rubro holoſerico, fili aurei fimbriis extremitates lambentibus, tectum ornatumque: Cum in loco congreſſui extra pomæria urbis condicto, ſtitiſſent Sacræ Coronæ ferream arcam, paris holoſerici involucro velatam, una cum Conſervatoribus ſibi adſciverunt. Confeſtim igitur in urbem iter converſum eſt. Procedentium agmen præiverunt, binæ Comitis Caroli Palffy turmæ equitum loricatorum, quos altera Pannonum levis armaturæ, lanceis vexillatis adornata, excepit. Porrò Nobilium ſuccedebat turma, qui Leopardorum & Tigridum exuviis tecti, & conſpicui, Huſaronum nomine veniunt, & Palatino Regni familiares Aulicos quotidie fermè ſe exhibent, cu-

jus

jus etiam Inſignia, vel auſpicia præferebant. Amænius autem & illuſtrius ſpectaculum intuentibus erat, filios Palatini tres prætextatos, cernere juventutis Maximates, jam equites in armis hanc turmam ducere: Ita ſcilicet Hungari à teneris annis, in Martis ſtudia adoleſcunt. Audiebatur pariter tubarum tympanorum lituorumque non injucundus clangor, quem omne campanarum æs, ſonitu quoque ſuo augebat. Splendebat ampliùs Attalicis, variegatis, aureis argenteiſque ſagulis, Germanæ, & Hungaræ nobilitatis flos, qui equis viriſquè, quicquid lapillorum, telarum, telorumque nitet ac in pretio eſt, circumdederat & induerat. Cum prolixa ſeriè equitantiũ permiſtus ordo ſeſe oſtentaſſet, Pro-Rex Croatiæ, ſive Banus COMES NICOLAUS ERDŐDIUS inceſſit, inter Comites Franciſcum Eſterhaſium, & Joannem Draſcoviciũ medius. Demum catervã clauſit REGNI PALATINUS à dextra Comitẽ Nicolaum Draſcovicium, & à ſiniſtra Comitem Stephanum Cziakium habens, albicante ſublimis caballo, circumſeptus ingenti famulorum diſcurſantium grege, tum peditibus in corporis cuſtodiam armatis. Conſpiciebatur tandem currus apricus, nullo oneratus tecto, quem pannus holoſeribus amicierat; eumq; primò & potiori loco Cæſaris Commiſſarii, Comites

tes Valſteinius & Caplirius, deinde in regione inferiori, S. Coronæ Conſervatores inſidebant. Utrumque latus Haidones & Germani pedites, Coronæ excubijs perpetuo mancipati, muniebant, ſublato vexillo & tympani ſtrepitu ſeſe oſtentantes. Deſinebat prolixæ ſplendor pompæ, in noviſſimum rhedarum ſyrma, quo Antiſtitum & Eccleſiaſticorum ingens numerus vehebatur; quos poſtremo cataphractorum equitum turmæ Palffyanæ ſequebantur. Proceſſus aulam Cæſaris prætergradiens, in forum, eo magnificentiæ ritu pervenit, qui Regiæ dignitatis faſtigium decuiſſet. Agnoſcere licebat venerationem cultumque, vel religioni S. Coronæ, vel tot avitorum memoriæ heroum, magno animorum conſenſu & laudabili in patrium decus amore, tribui; cùm omnes & ſinguli ejus adventui gratantes, gauderent. Quamvis inclytus ille Pannoniæ theſaurus, in Curia civitatis domicilium capiens, avidis hactenus oculis ſe ſubtraheret.

Die Sabbathi inſequuta VI. Dec. SAC. CÆS. REGIAq; MAJES. horis pomeridianis in Sempronianam Curiam deſtinavit, memoratos Comites Valſteinium & Caplirium, commiſſis clavibus poteſtatem illis faciens, ciſtæ aperiundæ. Convenêre illic Regni Palatinus, cum Coronæ Conſervatori-

toribus, Delectiſque ex omnium Statuum & Ordinum claſſibus; qui cum integra & illibata impreſſa poſtrema vice ſigilla inſpexiſſent, reſerari arcam juſſerunt. Luſtravere cuncti, qui magno numero ibi confluxerant, & admirati ſunt ſacrum diadema, Hungaris tanti habitum. Porrò productum S. Stephani Regis paludamentum, byſſinis aureiſque filis intextum, ab annis DCC. integerrimum; tum ſceptrum brevius ſummitate rotunda, ſpeciem clavæ Hungaricæ referens; denique gladius D. Stephani veteri forma in mucronem rectum deſinens, quem ille victis tot fidei Chriſtianæ hoſtibus, utendum futuris Regibus conſecravit. Eſt autem S. Corona ex auro ſolido conflata, in quo imago Salvatoris noſtri à fronte recta, ex adverſo autem Divæ Matris Virginis & Apoſtolorum conſpicitur. Siquidem etiam literæ Græcæ ibi viſuntur, hac alijſque rationibus permotus Illuſtris Comes Turocienſis Petrus de Reva, exiſtimat à Conſtantino M. diadema hoc Romano Pontifice Sylveſtro I. dono datum, ſervatumque divina providentia, ut S. Stephano & Hungaris cederet: Idq; latius proſequitur Commentario de MONARCHIA ET CORONA SACRA REGNI HUNGARIÆ Cent. VII. pag. 141. & ſeq. Cùm probè contemplati eſſent, qui in primo hypocauſto aderant, Regni

Inſignia, Comes Palatinus S. Coronam pulvinari exceptam,in aliud Conclave ad congregatosRegni Ordines tranſtulit. Hic omnes cum diadema religioſo coluiſſent oſculo, idem unaq; Regia Inſignia, ex feneſtra populo in forum effuſo ſpectanda præbuit; monens obteſtanſque altâ voce cunctos, felicia & incolumia viderent,agnoſcerent Regni auſpicia, plauderent patriæ & D. Stephani deceſſorumqueRegum ac Heroum inclytis monumentis! Perſonuit mox tripudiantium acclamationibus forum & civitas, ut obſurdeſcerent, qui vociferantium Hungarorum ſenſa non ſatis capiebant.

Nec minori ambitione exarſerant matronæ nobiles, coram inſpiciendi Diadema, quod Auguſtæ ardentiſſimis votis ac deſiderijs imponere, pridem exoptaverant. Tametſi patrius Pannonum mos ferat, ut S. Corona non capiti Reginarum, ſed humero ſaltem applicetur.

Quod cum à reliquarum gentium uſu abludat, & Hungaris peculiare ſit, rationem ſuggerit (judicium lectoris eſto) ſupra laudatus *Comes Turocienſis in Comment. de S. Corona Reg. Hung.* pag. 93. *Hiſtorici quidem* (inquit ille) *quos mihi legere contigit, quoties Reginarum Hungariæ coronationes commemorant, nonulli ipſorum præſertim externi, Sacra Corona coronatas tradunt: A-*

lij

lij ſine diſtinctione coronarum, inaugurationem illarum deſcribunt. Sed diverſa corona Reginas coronari, tam ex vetuſtis privilegijs, quam legibus noſtris manifeſtum. Ipſiſsima enim Sacrâ Coronâ caput duntaxat Regis redimiri ſolet, & ſic demum plenarium adipiſcitur Imperium. Reginæ verò ab Archiepiſcopo Strigonienſi, dextro ſolummodo humero hæc Corona admovetur, non vana de cauſa. Exiſtimo enim hac inſigni & Regia Cæremonia mijſterium creationis fœminæ, quæ dextro viri latere deſumpta eſt, adumbrari; dextro latere Chriſti ortam eſſe Eccleſiam; aut certo & medio ordine ac limite fœmineum imperium collocari. Reginam nimirum, ſociam in tolerando atquè bajulando gravi difficilimiquè regiminis onere opitulaturam, tanquam ſexum imbecilliorem, decere obſequij gloriam. Quiddam ſimile ideo apud Gallos in lege Salica, qua fœmina jure ſucceſsionis hæreditariæ prohibentur, nec aliter, niſi vicario nomine legitimi imperij honeſtantur. Ideo peculiari corona, quam ipſa Regina in eum ſibi comparare conſuevit uſum, ab Epiſcopo Veſprimienſi, cui ex veteri conceſſo privilegio id competit, coronatur, & ſolenni pompa ſacratur. Hanc Solennitatem Franciſcus Forgach Epiſcopus Varadienſis Cancellarius quondam Hungariæ, in ſua

hiſtoria tempore coronationis Mariæ, conſortis Maximiliani obſervatam, locuples teſtis eſt. Unicam Mariam Filiam Ludovici, ob præclara merita, gratiſſimamquè memoriam, pij & nunquam ſatis laudati Regis patris ſui, præter morem, Sacra iſta Corona redimitam & conſecratam eſſe, extra dubium eſt; quæ nec Regina, ſed Rex nuncupabatur inſcribebaturquè.

Pridiè coronationis, fiebat ad tantæ celebrationem feſtivitatis diligens apparatus, & Sacra Corona cnm Inſigniis è curia oppidana, Conſervatorio conſueto incluſa, in Aulam Cæſaris ejuſque penetralia delata fuerunt, ſine ullo tamen ſplendoris apparatu. Auſpicatiſſimus cum exoriretur dies *IX. Decemb.* contra omnium opinionem ſol ſerenus affulſit, qui & ingreſſui nuper Sac. Coronæ, tum inaugurationi AUGUSTÆ gratulari & applaudere, viſus fuit: cum alioquin præcedentes ſequutoſque dies, denſæ pluviæ ac imbres, fœdos madidoſque redderent. Primo diluculo D. pedites Mansfeldianæ Legionis in urbem admiſſæ, per forum in aciem diſponebantur; cæteri excubias per compita obivêre: Idem in ſuburbio equites Palffyani ſategerunt, ne quietem & lætitiam publicam effrænata vellicaret audacia. E regione Aulæ ubi Cæſar diverſabatur, cænobium & templum eſt

eſt S. Franciſci Strictioris, uti appellant, obſervantiæ ſodalium, utrumq; anguſtis coërcitum ſpatiis. Eo majore igitur induſtria laborandum fuit, ut arte ſupplente tantæ ſolemnitati, ac hominum multitudini ſufficeret. Ex deſtinato aderant Cubicularij Imperatoris, ne quis ex plebè infrunita ſe infunderet, ante fores templi inhibitores: Comites ſcilicet Piccolomineus, Joannes Antonius Noſtizius, Franciſcus Kerius, Sigiſmundus Collonicius, Nicolaus Illieshazius: Barones, Emericus Kohary, Petrus Scapary, & Joannes Sarkany: qui manu militari, tum Satellitibus Cæſareis adhibitis, omnes aditus obſervabant. Prioribus etiam incubuit, Nobiles Matronas, Virgineſque ad deſtinata loca deducere. Nimirùm ex imò templi ſolo theatrum gradatim exurgebat, candidi, viridis, & rubri coloris, quot ſcilicet Regni Inſigne pingitur, pannis commutatim decoratum, Auſtriaco, Hungaricoq; Gynæceo proſpectum præbens. Utriuſque lateris intercolumnium, porrectiora podia occuparant, Ablegatis exteris, ac primariæ dignationis Nobilibus deſtinata. Fornicatus ſuperior chorus cœnobitarum pſalmodiæ alias proprius, nunc ſymphoniſtis reliquebatur. Altare ſummum exornatiſſimum ſtabat; ibi ad dextram ſupra ſuggeſtum tres gradus altum, & tapetibus ſtratum, THRO-

NUS erat SAC. CÆS. REGIÆq; MAJESTATIS, aureo pallio veſtitus, & uraniſco munitus. Hoc in latere deſcendendo, parieti applicabatur ſubſellium Legatorum Regiorum, rubro amictum holoſerico. In medium chori aliquantiſper retro declinans à throno Cæſareo, SOLIUM AUGUSTÆ tribus pariter gradibus ſublime, ſed à tergo liberum, penſili tamen tecto umbellatum, Altari oppoſitum erat, argenteo undique panno adornatum. Suggeſtus ternos gradus, Pannonicus tricolor pannus, tum tapetes abſconderunt. Ab utroq; hujus ſolij latere in pavimento, ſedilia rubri coloris panno obducta, pro binis AUGUSTÆ Aſſiſtentibus Epiſcopis collocaverant. Hæc porrò excipiebant Præfectæ Aulicæ, tum Comitis Palatini Conjugi, cæteriſque è Gynæceo Auguſtali Virginibus, præparata tapetibus ſcamna. Siniſtrorum juxta parietem, conſidebat in ſcamno albo inductum panno, Epiſcopus Zagabrienſis, cum reliquis Prælatis religiosè indutis. Atque in hoc chori latere verſus templi navim, Conſiliarijs intimæ admiſſionis ſubſellium parieti appoſitum, & ante hoc aliud Ordini Aurei Velleris, ſtatutum, & Phrygij Perſicique operis ſtragulis utrumque onuſtum fuit. In cornu altaris dextro METROPOLITANUS STRIGONIENSIS; in lævo autem ARCHIEPISCO

PISCOPUS COLOCENSIS, cum Pontificibus Regni, & reliquo miniſtrantis Cleri ordine, ſedes occupaverunt. Fani parietes Dædalei operis aulæa undiquaque velabant; ut Majeſtatis fulgor ſaltem deſideraretur.

I. Jam occluſæ erant civitatis portæ hora matutina x. & pridie vocati, invitatique, poſtquam in Aula comparuiſſent omnes, ſplendidiſſimo apparatu in procinctu ſtabant. Via tantum publica, à Cæſaris Palatio templum ſeparabat; ea verò fabricatus iſthic pons ligneus conjunxit, qui tecto ſuperius munitus aëris injurias arceret; ambulacro autem univerſo, dictus tricolor pannus injectus erat. Cùm ſignum daretur templum ſubeundi; Præceſſere amotis famulis & ſervulis quibuſcunq; Nobiles Aulici & Dynaſtæ utriuſque gentis Hungarorum & Germanorum, in pulcherrimis ſumptuoſiſſimiſque ſyntheſibus, gemmatis fibulis, & exquiſito quocunq; ornamentorum cultu nitentes.

II. Sequebantur præcipuæ dignationis Miniſtri Cæſarei Regiiquè.

III. Aurei Velleris Equites, torque quiſque ſua adornatus.

IV. Supremus Mareſchallus Aulæ Cæſareæ ALBERTUS COMES ZINZENDORFFIUS, Scipione inſtructus, utpotè Supremi Aulæ Præfecti vices gerens.

V. Le-

V. Legati; nempè Regis Hiſpaniarum Catholici CAROLUS ESTENSIS Marchio Borgomaneus, & Reipubl. Venetæ DOMINICUS CONTARINUS.

VI. Feciales trabeati cum caduceo, Auſtriæ unicus, bini deinde Regnorum Boëmiæ,& Hungariæ, tum bini Sac. Romani Imperij.

VII. Auguſtalium Imperij Inſignium portitores, Electorum hæreditarij Subofficiales, CAROLUS LUDOVICUS COMES SINZENDORFFIUS, hæreditarius Imperij Theſaurarius, ex rubro holoſerico pulvinar geſtans, ad excipiendum Coronam paratum. Deinde Cubicularius Cæſareus, LUDOVICUS COMES COLLOREDUS, Sceptrum tenens loco Zollerenſium. Et SEBASTIANUS VUNIBALDUS COMES TRUCHSESSIUS de ZEIL, globum ferens.

VIII. Mareſchalli loco, GUILIELMUS COMES ŏTTINGENSIS, Supremus Cæſaris in Aula venationum Magiſter, enſem ſtrictum præferens.

IX. SACRA CÆSAREA MAJESTAS paludamento Auguſtali induta, caput coronâ redimita, cujus latera tegebant Supremus Sacri Cubiculi Præfectus GUNDACCERUS COMES DIETRICHSTEINIUS, & corporis cuſtodiæ

Præ-

Præfecti, Comites FRANCISCUS AUGUSTINUS VALLESTEINIUS, & FRANCISCUS MANSFELDIUS.

X. Magiſter Regiæ in Hungaria Curiæ, Comes JOANNES DRASCOVICIUS, Scipionem geſtans.

XI. Bini S. Coronæ Hungariæ Conſervatores, COMITES STEPHANUS ZICHY, & CHRISTOPHORUS ERDöDY.

XII. Regia Pannoniæ Inſignia ferentes; nempè Pacem, COMES GEORGIUS ILLIESHAZY: Crucem, COMES GEORGIUS ERDöDY: Globum, COMES NICOLAUS DRASCOVICIUS: Sceptrum, Banus ſive Pro-Rex Croatiæ, COMES NICOLAUS ERDöDIUS; Sac. Regni Coronam pulvinari impoſitam, REGNI PALATINUS COMES PAULUS ESTERHASIUS, portabat.

XIII. Hinc AUGUSTA IMPERATRIX, tanquam novum cœlo delapſum Numen, omnium ora & ſtudia in ſe convertens, venit; Supremi Aulæ Præfecti FERDINANDI PRINCIPIS DIETRICHSTEINII, porrectæ leniter manui, innixa.

Amicta Sua Majeſtas erat, manicata ſtola ex panno argenteo, mole Hiſpanica laxius protube-

rante; cui phrygionis acus luculentos ex auro & unionibus flores inſperſerat; ſed gemmarum vis in fimbrijs tumens, radios exerebat, intuentium oculos potentius perſtringentes. Super hæc omnia eminebat oris decor, & amænæ gratiæ genius. Syrma Regiæ ſtolæ prolixo volumine extenſum, COMITISSA RAPPACHIANA, Auguſtæ Aulæ Præfecta, ſuſtinebat.

XIV. Hujus veſtigium preſſit CONJUNX PALATINI REGNI, ad levam Gynæcei Præfectam STUBENBERGIAM habens.

XV. Demum nobilitatis primariæ in AUGUSTALI GYNÆCEO VIRGINES, forma ornatuque venuſtæ, ſplendorem Dominæ, vel poſtremo hoc loco maximè attollebant.

In limine templi obvius ſtabat Eccleſiaſticus ordo, cui præaltam ex argento crucem, Sirmienſis Antiſtes prætulit. SAC. CÆSAREAM MAJESTATEM EPISCOPUS ZAGRABIENSIS BORCOVICIUS, luſtrali aqua conſperſit, & una cum Epiſcopo Scardonenſi eandem ab utroque latere concomitatus eſt. Cuncti Pontifices Regni ad Aram prægreſſi ſunt, niſi quod bini AUGUSTÆ ADSISTENTES EPISCOPI videlicet NITRIENSIS, & CHANADIENSIS, qui Suæ Majeſtatis latera ſemper clauſerunt, ad fores hactenus hære-

hærerent, Eamque luſtrali fonte initiatam, conducerent.

SAC. CÆSAREA MAJESTAS, poſtquam deſignatum thronum occupaſſet, à ſiniſtra habuit parieti inclinantes Feciales primarios binos, tum ante hoſce Sac. Rom. Imperij Subofficiales, Comites quippe TRUCHSESSIUM, COLLOREDUM, & SINZENDORFFIUM. In inferiori gradu throni Comes ŐTTINGENSIS, nudatum enſem ſuſtulit. A dextris in altero ſuggeſtus gradu ALBERTUS COMES ZINZENDORFFIUS, Scipionem, aulici imperij indicem ſuſtinuit. In tertio gradu, parietem ſedemque Auguſti tegentes, utpote SUÆ MAJESTATI ſemper propinquiores, ſatellitij Præfecti Comites VALSTEINIUS & MANSFELDIUS ſtetêre, atque ab hoc etiam latere in pavimento tres alij Feciales fuerunt. Supremus autem Cubicularius inter Equites Aurei Velleris locum ſibi ſumpſit.

Pariter AUGUSTA IMPERATRIX comitantibus Pannoniæ ſatrapis, ſuum ſubijt ſolium; in cujus ſecundo gradu ad ſiniſtram PRINCEPS DIETRICHSTEINIUS manſit; in imo ſolo Curiæ Magiſter, Regni Palatinus cum S. Corona, cæterique Inſignium Regiorum portitores; à dextris autem Conſervatores Coronæ conſtiterunt.

runt. Epiſcopi aſſiſtentes, ſedile quiſque ſuum occuparunt. In fronte ſolij AUGUSTÆ, menſam ſtatuam onerabat diadema domeſticum, quod varijs gemmarum & unionum lemniſcis collucebat, hactenus autem velatum; ſiquidem illud Theſaurarius ſeorſim ibi collocarat, quod Sua Majeſtas ſine corona hactenus compareret. SERENISSIMA ARCHIDUX MARIA ANTONIA, Cæſaris filia & delicium, publico abſtinuit, attamen privato more, & ritu, ut ajunt, incognito, in cellulæ feneſtra, è cœnobio in chorum templi pertingente, cuncta contemplari ſollicita. In theatrali dicto pegmate, utriuſque gentis Germanæ ac Pannonicæ illuſtres fœminæ, habitu, veſtimentis, ornamentis, & quicquid compturus faſtus reperit, uti tot micantia in Olympo ſydera radiabant. In fornicato templi projecto, Oratorium Cæſaris eſt; in eo privatim ſe detinuerunt, S. Rom. Eccleſiæ CARDINALIS FRANCISCUS BONVISIUS (ex dicenda deinceps ratione) tum Principes BADENSES LUDOVICUS & HERMANNUS, una cum EPISCOPO VIENNENSI EMERICO. Ex fornice etiam alia pegmata in ſublime ad laqueare templi exſurgebant, ſpectatoribus repleta, quorum omnis angulus refertiſſimus fuit, licet plebeis nullus pateret aditus. Durante pompatico

fani

ſani ingreſſu, oculi non tantum perſtricti, ſed attonitas quoque aures reddiderat, tubarum tympanorumque clangor.

Silentio denique facto, ut quiſque locum ſuum pulchro ordine teneret, ARCHIEPISCOPUS COLOCENSIS GEORGIUS SCECHENIUS, aſſiſtente Epiſcopo Quinquecclesienſi, rem divinam & Sacrificium Altaris exorditur: Symphoniacis vocum & fidium ſuavi concentu accinentibus. Poſtquam Epiſcopus CORBAVIENSIS EPISTOLAM publicè decantaſſet, SAC. CÆS. REGIAq; MAJESTAS, coronâ redimita, ſceptrum & globum manibus tenens, è throno ſuo, Miniſtris Comitibus ad Aram progreditur. Illic exhibito ſibi Pontificiali libro, à ſupremo Aulæ Sacellano & Eleemoſynario poplitibus innitente, CONSECRATOREM ARCHIPRÆSULEM STRIGONIENSEM coram Altari ſedentem, ſtans compellat: *Reverendiſſime Pater, poſtulamus ut Conſortem Noſtram, Nobis à Deo conjunctam benedicere, & Coronâ Regiâ decorare dignemini, ad laudem & gloriam Salvatoris Noſtri.* Annuente id prona inclinatione Metropolitano, Cæſar ad thronum regreſſus, ſceptrum ſphæramque auream portitoribus reſtituit.

Hinc AUGUSTA è ſolio ſurrexit, opitulante

te Principe Dietrichſteinio, comitantibus Hungariæ Proceribus, tum Epiſcopis binis, ſyrma pallæ Comitiſſa Rappachiana ferente, ad altare pervenit; inſequentibus Palatini Conjuge cum Gynæcei Præfecta. Ubi Antiſtites Regia geſtamina à Magnatibus accepta, una cùm S. Corona aræ impoſuiſſent, Auguſta ſupra culcitram panni Attatici, ſimilis telæ ſtragulo injectam, ſubſidens, manum Metropolitani, chirotecarum cruce ſanctam, devoto petijt oſculo. Ipſe verò Metopolitanus ſenio & valetudine debilis, ſuccollante Vacienſi Antiſtite, in Altaris ſummo gradu procubuit; atque AUGUSTAM, in acervatis adhuc pulvinaribus vultu proſtratam, in genua ſimul provoluti circumſepſere reliqui Antiſtites, donec Litaniæ, & preces abſolverentur. Hiſce peractis Metropolita ſurrexit, & detracta Infula clare precatus eſt: *Omnipotens æterne DEUS, hanc famulam tuam cæleſti benedictione ſanctifica, eamq́ Reginam tua ſapientia doceat, & confortet, ut Eccleſia ſemper fidelem agnoſcat.* Erexêre tunc adſtantes leniter REGINAM, quæ cum genibus inniteretur Metropolitanus benedicendo pergit: *Autoritatem Regiminis, conſilij magnitudinem, prudentiæ & intellectus abundantiam, religionis, ac pietatis cuſtodiam; Saræ, Rebeccæ, & Judithæ virtutes, feli-*

felicitatem, ac fœcunditatem, in poſteris fortunam; ut ſequatur pacem, diligat juſtitiam, floreat æternum, comprecatus. Porrò Conſecrator Strigonienſis dextro pollicè oleo catechumenorum madefacto, digniorem Reginæ cubitum, à carpis utrinque ductim in formam crucis illevit: Poſt denuò immerſum Chriſmati digitum, interſcapulari regioni intulit, tranſverſimq; partem unxit, dicens: *DEUS Pater æternæ gloriæ, ſit Tibi adjutor, & Omnipotens benedicat Tibi, preces Tuas exaudiat, vitam Tuam longitudine dierum adimpleat, benedictionem Tuam jugiter confirmet; Te cum omni populo Tuo perpetuo conſervet, inimicos Tuos confuſione induat, & ſuper Te Chriſti ſanctificatio, atque hujus olei infuſio floreat, ut qui Tibi in terris tribuit benedictionem, ipſe in cœlis conferat gloriam Angelorum, per Chriſti Domini Noſtri meritum.*

Tunc AUGUSTA REGINA, ductoribus binis Epiſcopis Aſſiſtentibus, Principe etiam Dietrichſteinio, ſyrma rurſum tenente Comitiſſa Rappachiana, inſequente Palatini Conſorte, media inter binas è Gynæceo primariæ nobilitatis Cubiculares, ad proximum Sacrarium ſeceſſit, ut oleum ritè abſtergeretur. Quo peracto, rediens coram Conſecratore Metropolitano noviter in genua procubuit.

cubuit. Tum Palatinus SACRAM CORONAM ex ara depromptam Metropolitano porrexit, atque una cum ipſo dextro REGINÆ humero (uſu ſcilicet Pannonibus frequentato, ea ratione quæ ſupra tradita eſt) pauliſper applicuit, removitque. Intereà PRINCEPS DIETRICHSTEINIUS, Diadema familiare, è menſa memorata ſublatum, Epiſcopo Nitrienſi Regis in Aula Cancellario commiſit, qui illud ſuis manibus loco Antiſtitis Beſprimienſis (cui id officij tanquam Reginæ Cancellario, antiquitus competere notum eſt) vertici REGINÆ AUGUSTÆ impoſuit. Conſecrator autem dixit: *Accipe Coronam gloriæ, ut ſcias Te eſſe Conſortem Regni, populoq; DEI ſemper proſperè conſulas, & quanto plus exaltaris, tanto ampliùs humilitatem diligas & cuſtodias, in Chriſto JESU Domino Noſtro.* Tunc quoque ex Altari deſumptum Sceptrum, Reginæ manui dextræ, & auream cum eminente cruce ſphæram, ſiniſtræ inſeruit, ajens: *Accipe virgam virtutis ac veritatis, & eſto pauperibus miſericors, & affabilis; Viduis, pupillis, & orphanis diligentiſsimam curam adhibeas, ut Omnipotens DEUS augeat Tibi gratiam ſuam.*

Poſtquam hiſce Regalibus ſacris initiata eſſet REGINA AUGUSTA, omnes conſurrexerunt, dedu-

deduxeruntque MAJESTATEM SUAM ad ſolium: Maximates etiam Hungari, una cum cæteris loca priſtina occuparunt. Palatinus autem S. Regni Coronam pulvinari impoſitam, in throni anteſedili, à laterè ſiniſtro ſtatuit. Regina diademate proprio redimita, ſceptrum globumque manibus tenens, cum in Solium ſublata ſubſiſteret, loco Conſecratoris (cum pedes ambulandi officium haud exequerentur) Epiſcopus Nitrienſis cum ſocio ſuo, Augurij ſive inthroniſationis votum perſolvit: *Occuparet*, inquiebat, *Regina Auguſtiſſimum hunc locum, DEI gratia ſibi conceſſum, & per ejuſdem miniſtros Pontifices aſſignatum: Firmaretur, ac ſtabiliretur thronus Ejus.*

Extra ordinem tunc etiam, ara parumper deſerta, ad ſolium reverenter accedens Archiepiſcopus Colocenſis, votorum ſuorum victimam, calido pectore immolavit, dicens: Nunc demum inclytam Pannoniæ gentem deſiderij ſui compotem eſſe, quod in Regiæ dignitatis apice Majeſtatem Auguſtam adorare liceat. Conſummati magnitudinem beneficij à cœlo derivatam, devota gratitudine cunctos extollere;

vovere etiam ardentibus ſuſpirijs, ut omnia quæ in terris, Numen amicis & electis diſpenſat, Auguſtæ Reginæ cumulatim largiatur. Proſperè igitur Regina procederet ac regnaret, poſtquam omnium Pannonum ora votaque, hodie Suam Majeſtatem in communem Matrem delegerint atq; aſſumpſerint. Neminem dubitare quin eadem, tenerrimo etiam pioque amore Hungaros, candidos obſequij filios, habitura & proſequutura ſit. Propitium Numen, à Regina nunc & ſemper, anxio pioque corde implorari, exorari. Si cœleſtis Virginis & Matris æterni Verbi exemplum, Regina æmulari velit, impoſterum in promenda bonitate erga Pannones, idem præſtare poſſe. Si patriæ, ſi filijs ſincerè devotis, benignè faveat, ſi patrocinio ſuo illos complectatur, in

omnes

omnes generationes hanc benignitatem celebratum iri. Faxit ita, ut inter cœli Divas nova apotheoſi recenſeatur, S. Eliſabethæ haud impar, ELEONORA MAGDALENA; & immarceſſibili corona inſignis, apud Superos etiam æternum regnet.

Ad hæc ſilente licet AUGUSTA REGINA, modeſtæ indolis purpura, candidiſſimum vultum pererrans, abundè reſpondere viſa. Eam videlicet cuncti ſuſpiciebant, & admirabantur in AUGUSTA REGINA oris venuſtatem & decus, eam Majeſtati innexam amabilem comitatem, gravitatemque nullo ſupercilio arrogantem, quæ Cyclopæam quoque ferociam in adorationis cultuſque ambitum protruderet. Ineſt ſanè aliqua Divinitatis occultior vis, Regio faſtigio, quæ peculiari radio popularium pectora pulſans, ſtudia & venerationem pellicit conciliatve. Nam omnium animi cum gaudio turgerent, perſpicuum etiam fuit, oculos plerorumq; ad gratantium lacrymarũ lætitiam compulſos fuiſſe. Pulchrum & novum, Romanis certè incognitum adoptionis genus, hac luce comperimus, quod ſenes etiam depontani & capulares,

Reginam Auguſtam juventutis annos necdum egreſſam, Matrem ſuam publico ſuffragio cenſerent. Naturam ſcilicet non imitatur hæc adoptionis ſors, ſed pro cynoſura & vinculo habet, Majeſtatis Regiæ auſpicium reverentiamque, ac ſubditorum obſequioſam filiorum indolem.

Tum Metropolitanus hymnum divinæ laudis, depoſita infula inchoatur; tum omnis Muſicorum chorus, dulci modulatione, LAUDETUR DEUS! cantare: Tum peditum & equitum ſclopis, ac tormentis bellicis ſolutis, cœlum intonare, cæteraque elementa geſtire, & Novæ Reginæ gratulari: Tum plebs foris conglomerata exultare, vitam Reginæ! ſalutem fœcunditatem, felicitatem! exoptare. Iterum conticuere omnes, ac ſopito ſtrepitu concentuque, precibus incubitum. Nimirum ſubſidiarius Conſecratoris Metropolitani, Nitrienſis Antiſtes, infit: *Firmetur manus Tua, & exaltetur dextra Tua*, reſponſumque illi; *Juſtitia & judicium præparatio ſedis Tuæ.* Oravit poſtea: *Deus qui extenſas Moyſis manus intueri dignatus es, hæreditati Tuæ adverſus Abimelecum victoriam tribuens, opus manuum tuarum, pia noſtræ orationis exauditione confirma. Habemus & Nos Salvatorem, qui pro Nobis manus ſuas in cruce extendit, per quem precamur, ut univerſo-*

rum

rum hoſtium frangatur impietas, populuſque Tuus ceſſante formidine, Te ſolum timere diſcat.

Hæc ubi Clerus juxta thronum peroraſſet, quiſque ad ſuum locum reverſus eſt. Epiſcopus Novienſis cum Evangelium decantare cœptaret, SACRA CÆSAREA MAJESTAS Imperiale Sceptrum & Globum, à portitoribus reſumpſit; ſiquidem AUGUSTA REGINA ijſdem inſtructa hactenus, in ſuo Solio ſublimis ſteterat. Finita hac prælectione, Cæſar inſignia Officialibus hæreditarijs rurſum permiſit. A Regina autem Magiſter Curiæ Draſcovicius, ſceptrum & ſphæram, humili poſtulatione accepta, Magnatibus geſtatoribus concredidit. Sanctum Evangelij Codicem Imperatori Epiſcopus Zagrabienſis, Reginæ autem Antiſtes Nitrienſis, deoſculandum detulit. Hic porrò cum ſocio aſſiſtente, tum reliquo comitatus cætu, Reginam Diademate ſuo redimitam, ad aram deduxit. Illa igitur pulvinari Attalico ingeniculans, in auream pateram, quam Epiſcopi ſubmittebant, Metropolitano penes Altare ſedenti, obtulit aureum Numiſma peculiariter fabrefactum, & ab una frontè faſtum Coronationis diem, ab altera autem hierogliphycum emblema, navis alti maris fluctibus expoſitæ, præferens. Et poſtquam manum Conſecratoris ſancta armatam cruce, baſio

perveneráta eſſet, ad ſolium prioribus Comitibus regreſſa, devoto geſtu precibus deinde intenta fuit. Sacrificante ad aram deinceps Archiepiſcopo Colocenſe, SAC. CÆSAREA MAJESTAS Coronam Imperialem, opitulante vicaria Præfecti Aulici manu, è capite detractam, Comiti Carolo Ludovico Sinzendorffio commiſit, qui illam pulvinari exceptam tenuit. AUGUSTÆ REGINÆ ſuum Diadema è vertice ſuſtulit Epiſcopus Nitrienſis, Principi Dietrichſteinio illud geſtandum porrigens. Sacra Regni Corona interim in throni anteſedili ſervabatur, ab adſtante Palatino.

Durante ſublatione Euchariſtica, qui Regia tenebant Inſignia, eorum apices ad terram inclinarunt; ex Auguſtalibus autem Imperij, enſis duntaxat mucro inverſus fuit. REGINA AUGUSTA SACRA SYNAXI fruitura, aram priſtinâ comitatus pompa acceſſit, eoque pietatis, ac devotionis habitu, incarnati DEI Verbi Sacramentum, è manibus Archipræſulis Colocenſis ſuſcepit, ut adſtantes imitationis ſanctum exemplum ſibi præbitum faterentur. In Solium poſtquam reverſa eſſet AUGUSTA REGINA, CÆSAREA MAJESTAS Coronam ſibi reſtitui juſſit, quod ſtatim qui ademerat exequutus eſt. Pariter capiti Reginæ Diadema viciſſim applicitum fuit, ſuppetias

tias ferentibus Principe Dietrichſteinio,& Nitrienſi Antiſtite.

Finiente Altaris Sacrificio,ſolenni benedictione celebritatem clauſit, omneſque dimiſit Archi-Epiſcopus Colocenſis: ſimul ac reboante ſtrepitu, tormenta bellica, tum peditum equitumque ſclopi, ignem vomuerunt. In reditu, eadem via eademque magnificentiæ pompa, qua in templum antea perventum, in Aulam totus cœtus revertebatur. Spectatum undique accurrerat populus, tranſitum niſi prohibitus, obſtructurus. Alij ſubitarios ſuggeſtus impleverant, alij applicaverant vicinis parietibus ſcalas, quibus plus juſto oneratis, haud paucæ defluxerunt in ſubjectos. Plebis turba, pro conſuetudine ab antiquo aſurpata, certatim in ponte & ambulacris ſtratum calcatumque pannum rapere, & in prævenientem quemque, veluti hoſtem inſilire, alijs protritis, verberatis, ſauciatis alijs. Ambiebat unuſquiſque in prædæ partem venire, non lucri aviditate, ſed quo in tanti ſpectaculi memoriam, fruſtulum panni oſtentaret. Matronæ fœminæq; Nobiles Hungariæ, in obſequioſæ venerationis teſſeram, jam in templo Reginæ ac Dominæ ſuæ manum deoſculari debuiſſent; cùm verò loci anguſtia ſuetum hunc cultum impedierit, congregatæ deinceps, in anteriori Suæ Majeſtatis

ſtatis cœnaculo, ſupplici hoc baſio perfunctæ ſunt. Eo lætiore animo geſtientes, quò id officij cultuſq; ſatagere, pridem anxiè optaverant, ſtuduerantque. Sacra Cæſarea Majeſtas poſito Auguſtali paludamento, habitum & pallium alias ſuetum, ſed nunc nitidiſſimum, nec non torquem Aurei Velleris reſumſit.

Interea hodierno in triclinio, pro Convivio Auguſtali ſplendidiſſimis aulæis veſtito, ſupra tabulatum unius gradus rubro tectum panno, longa exporrigebatur menſa, quam pendens in capite uraniſcus ſuperiori parieti applicitus, muniebat. Inferiorem angulum, ſive feneſtrarum & januæ intercapedinem, ſuggeſtus Symphoniacorum occupavit, quem candidus ac viridis pannus obnupſerat. Abaci ſchyphorum, paterarum & poculorum numero onuſti, in anteriori Cæſaris conclavi collocati erant, unde pocillatores omnis generis potum promerent. A Regio Janitorum Magiſtro in porta triclinij conſtituti erant, BARONES JOANNES SARKANY ET PETRUS SZAPARY, qui infrunitæ plebis irruendi licentiam arcerent. Strata hoc modo Cæſarea Regiaque menſa, DAPIFERORUM MAGISTRUM GEORGIUM COMITEM ILLIESHAZIUM, & COMITEM SIGISMUNDUM COLLONICIUM, bacillis præeuntes,

euntes, ſequti ſunt varij apparatus ferculis onerati: Joannes Lippay, Nicolaus Keglevich, Gabriel Balaſſa, Comes Adamus Batthiany, Stephanus Kohary, Emericus Kohary, Ladislaus Karòly, Michaël Eſterhazy, Stephanus Orchoczy, Moyſes Cziriaky, Comes Adamus Collonicius, Comes Nicolaus Illieshazius, Comes Sigiſmundus Pethő, Adamus Viczary, Petrus Eſterhazy, Joannes Kohary, Joannes Priny; omnes ex præcipua nobilitate Dapiferi.

Ergò convivij apparatu plenè inſtructo, SAC. CÆSAREA MAJESTAS præcedente Aulicorum catervâ & Miniſtris, tum ijs qui ex Aurei Velleris Equitum Ordine, ſolemne quoddam exercebant officium, unaque Legatis ſtipata, in triclinium venit. AUGUSTAM REGINAM præibant Hungari Magnates, Magiſter Curiæ ſcipione inſignis, Palatinus Regni S. Coronam in pulvinari geſtans, cum Conſervatoribus ejuſdem, cæterique munia Regni obeuntes. Sua Majeſtas diademate, ob ponderis moleſtiam relicto, priori habitu & ſtola prolixiore præcellebat, cui ſuppetias manu iterum ferebat, Princeps Dietrichſteinius, ſyrma rurſum ſuſtinente Rappachiana Comitiſſa. Gynæcei Auguſtalis primariæ nobilitatis Virgines, Dominam quidem hactenus comitatæ, mox receſſerunt.

CÆSARI loturo aquam affudit, qui Prægustatoris munere perfunctus eſt Comes Franciſcus Kery; manutergium porrexit SERENISSIMA FILIA ARCHIDUX MARIA ANTONIA. AUGUSTÆ REGINÆ pelluvio miniſtravit, Comes Palatinus Regni Eſterhazius; & mantile præbuit loco Strigonienſis (pedibus lubricis impediti) Archiepiſcopus Colocenſis. SERENISSIMÆ ARCHIDUCI lavacrum detulit idem Comes Kery, manutergium verò, Ejuſdem Aulæ Præfectus Comes Franciſcus Julius Breinerus. Legatis exteris, tum binis Archipræſulibus, & Palatino, malluvium ſubmittebat, aquam fundens Comes Stephanus Zichius junior, qui in ima menſa ſtans Structorem egit: Mantilia autem tradebant, qui pincernarum officia implevere. Scilicet Legati Regis Hiſpaniarum Catholici CAROLI ESTENSIS, pincerna Comes Franciſcus Eſterhazius: Legati Veneti DOMINICI CONTARINI, Comes Adamus Czobor: Metropolitani Strigonienſis, Comes Valentinus Balaſſa: Palatini Regni, Comes Petrus Scezius: Archiepiſcopi Colocenſis, Comes Paulus Zichius. Menſæ cum benedixiſſet Archipræſul Strigonienſis, Supremo Aulæ Sacellano reſpondente, quiſque præparatum ſibi locum occupavit. Nimirùm capiti menſæ, in ſellis aureo panno

no flavo decoratis, adſederunt IMPERATOR AUGUSTUS, & AUGUSTA REGINA. In dextro latere deſcendendo Cæſari propinqua, SERENISSIMA ARCHIDUX, ita ut Uraniſco quadam tenus ſupernè tegeretur, in ſella rubro amicta holoſerico, dorſuali & brachiali inclinatorio munita, accubuit. Hinc intercapedo, duobus quaſi pro locis vacua cum maneret, ulterius ab hac dextra fuêre, primo Legatus Hiſpanus, dein Venetus in vulgaribus ligneis ſedilibus, rubro tamen holoſerici indumento veſtitis. In ſiniſtro menſæ laterè, & quidem è regione Legati Hiſpani, diſcubuit Strigonienſis Metropolita, ob debilitatem corporis ſellæ ſuæ portatili relictus: Pone hunc Regni Palatinus, & ultimo loco Archiepiſcopus Colocenſis in vulgatis itidem dictiſque ſedilibus fuerunt. Ad lævam Reginæ Auguſtæ, adſtabat menſæ Prægustator Comes Kery, Auguſto Imperatori, tum Auguſtæ Reginæ, & Sereniſſimæ Archiduci cibos miniſtrans: Idem Legatis, cæteriſque diſcumbentibus Comes Zichius ſategit, infimæ parti menſæ aſtans.

Ad SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS dextram reperiebatur Albertus Comes Zinzendorffius, Scipioni innixus tanquam Aulæ Supremus Præfectus, & cum illo ſummus Cubicularius: A tergo, corporis cuſtodiæ Præfecti, Comites Val-

 leſtei-

leſteinius, & Mansfeldius. Penes Reginam non minùs officia ſua obivere, Curiæ Magiſter Draſcovicius, Cubiculariorum Magiſter Comes Georgius Erdődius, cæterique excelſiorum munerum Satrapæ. Utputa Conſervatores S. Coronæ, qui theſauro ſuo patrio in menſa, quæ Reginam propter parieti applicata erat, collocato, ſemper adhæſerunt.

Quamprimùm convivium inirent, Cæſarei Regijq; Convivatores, Martius tormentorum applauſus, tertius & poſtremus auditus fuit. Suaviori verò concentu omnium aures, Muſicorum & citharædorum chorus mulcebat. Ferculorum & epularum lautitijs, nec Apicij aut Luculli prodigum palatum, quidquam exquiſitius vel magis oppiparum ſuperaddere valuiſſet: neque ejuſcemodi deliciæ, calami condimento, vel arte amplius indigent. Stupentes certè admirati ſunt, qui paſſim ſpectatores admittebantur nobiles peregrini, quid felix & fertiliſſima Hungaria ſuppeditet, luxui & neceſſitati optimè conſulens. Pocillatoris Cæſarei munus implevit, Comes Colloredus, utpote qui Zollerani hæreditarium Imperij officium ſubiverat. Reginæ Auguſtæ, Comes Adamus Batthyanius potum miniſtravit; Sereniſſimæ autem Archiduci, Comes Stephanus Cziakius. Reliquis accum-

cumbentibus pocula tuliſſe eoſdem qui manutergia præbuerant, jam dictum fuit. Quoties biberet vel SAC. CÆS. MAJESTAS, vel AUGUSTA REGINA, vel SERENISSIMA ARCHIDUX; Legati, tum Archiepiſcopi & Palatinus, in pedes erecti ſtantes expectarunt, donec ſchyphus pincernæ redderetur.

Quanquam verò CARDINALIS BONVISIUS Summi Pontificis Nuntius, juxta characterem ſuum repræſentatitium (uti cæremonialis Philoſophia hodie loqui amat) haud compareret, quod tiaram ſive Berettam, purpuream publicè traditam necdum accepiſſet: Attamen ſpectatum venit in Aulam pompam inceſſus, & nunc convivij apparatum ordinemque: atque ſic diſſimulata perſona, vel incognitus, ut ajunt, turbæ cæterorum immiſtus latuit.

Pariter in Auguſtæ Reginæ cænaculo, prandio luculento Gynæcei nobilis corona, cum primoribus Hungarorum matronis & filiabus, excipiebantur: E quibus Comitis Palatini uxor, inter Rappachianam, & Stubenbergiam Præfectas, media accubuit; cæteræ utrinque permiſtæ hilariter convivabantur. Tot Charites cœlo delapſas, terris ſeſe inſinuaſſe crediddiſſes, cum in ſui cultũ & amorem tot Ganymedes, ex primaria nobililitate juve-

nes, in conſortium facetorum ſermonum, ac joci pellexiſſent; ne videlicet inter tot deliciarum cumulum, leporum hilaritas & oblectamenta deſiderarentur.

Tandem ut Auguſtum convivium tot diſcis, & dapibus, toties mutatis, repetitis alijs, & ſemper recentibus epulis, ſat diu tumuiſſet; poſtquam Legati cæterique accumbentes, pro Reginæ Auſtriacæquè Domus Auguſtæ, ſecundis auſpicijs, multa pocula libaſſent, atque Hungaricum nobile illud Toccaianum temetum, omnibus alijs prætuliſſent: Secundam menſam & bellaria, ex Liguria, Belgio, alijſque Europæ plagis coacervata, Ægyptiorumque pyramides æmulantia, Dapiferi noviter attulerunt.

Mox Legati cum cæteris convivatoribus, relictis ſedibus conſurrexerunt. E Gynæceo itidem Auguſtali nobiles fœminæ acceſſerunt, & Dominæ Suæ nutus ſtantes expectarunt. Amotis paulò poſt bellarijs, Comes Sigiſmundus Collonicius feſtinabundus Comitem Kerium prægustatorem antevertens, Suis Majeſtatibus, tum Sereniſſimæ Archiduci, iterum loturis, collocato in menſa malluvio, aquam effudit: Supremus Cubicularius Cæſari mantile porrigens, eodem modo Aulæ Præfectum vicarium, prævertit. Auguſtæ Reginæ manuter-

nutergium Princeps Dietrichſteinius, & Sereniſſimæ Archiduci , Comes Breinerus exhibuerunt. DEO gratias egit omnium ore, Cæſareus Eleemoſynarius. Demum eodem ordine, ac comitatu CÆSAR, & AUGUSTA, ad interius penetrale receſſerunt, Palatino S. Coronam eidem iterum inferente. Hinc qui Auguſto convivio miniſtraverant Hungarici Dynaſtæ, tum Germanæ primores nobilitatis, ad ſuum triclinium digreſſi, inter lautiſſimas epulas genio indulſerunt. Interea in domo provinciali & Curia oppidana, Eccleſiaſticus ordo, tum cæterorum Statuum & ablegatorum claſſes, per plurimas diſtributi menſas, frontem exporrigentes, pergræcati ſunt. Atque ut ſolent homines inter pocula generaliter vocales, cùm natarent vino pavimenta, cum maderent parietes, Vitam, Victoriam, Felicitatem! Auguſto Imperatori ac Reginæ, clamoſo certamine exoptarunt. Auſtriacum tunc vinum cunctis expoſcebatur, ut patrio nativoque mero, dominantium fortunæ fauſtis augurijs litarent. Ingeminavêre omnes votum, quod in Cæſarea Regiaque menſa palam Comes Palatinus nuncupaverat nempe; Coronavimus AUGUSTAM MATREM, coronabimus etiam quamprimùm PRINCIPEM JUVENTUTIS, FILIUM SERENISSIMUM, Hungaricæ ſalutis

pignus.

pignus. Adeo ſolida candidaque hilaritate, fauſtus Regiæ inaugurationis dies, abſque jurgijs, faſtidio aut turba, raro exemplo feliciter tranſactus.

Hinc XIII. Decem. Conſervatores S. Regni Coronam rhedæ impoſitam, omiſſo ſolenni deductionis ritu, turmis ſaltem Palfianorũ equitum, tum ordinarijs excubitoribus ſtipati, Sempronio ſecum abduxerunt. Poſtquam die inſequenti Poſoniũ attigiſſent, Senatus populuſque civitatis ad ripam Danubij officiosè obvius, S. Coronam tanquam ancile ſuum cœlo delapſum inſigni venerationis cultu excepit. Adeoque per ambitus viarum armatis hominibus obſitos, magnifico inceſſu illa caſtro reſtituta fuit: Depromenda rurſum inde, ut Sereniſſimi Archiducis Joſephi tempora cingat. Vel ſi vota Noſtra aliquid valent, largiatur æternum Numen! ut S. Corona priſcam in Arce Vicegradenſi ſedem repetens, barbarie expluſa, deinceps Budam poſtliminio veniat, atque illic Principi juventutis, Auguſtiore adhuc auſpicio imponatur.

Cæterum ferventibus inaugurationis cæremonijs, nihil de curis publicis remiſſum, quod vererentur Status & Ordines profectionem Sac. Cæſ. Majeſtatis acceleratum iri. Idcirco III. Decembris gratias egerunt, quod libertas patria eo, qui ſupra expoſitus eſt modo integra & ſalva ſibi maneret.

Quo-

Quoniam verò precibus necdum omnino factum eſſe ſatis crederent, Regiam benignitatem ulterius implorandam exiſtimarunt. Nimirum ut belli militiæq; præfecti damna injuria data ſarcirent. Miles Germanus in Regno manens ſuo proprio ære victitaret: Idem verò è civitatibus oppidiſque Regijs, tum caſtellis nobilium prorſus, & quamprimùm exeſſe juberetur: Atque hiſce locis tela armaque nuper ablata redderentur. Econtra ex Hungaris conſtans limitaneus miles, novis delectibus auctus, præſidia impleret. Munia Regni vacantia Pannoniæ indigenas, & benemeritos nunc à Regia beneficentia expectare. Præſertim verò ut talis etiam ſæculo, non Eccleſiæ mancipatus, Fiſco præſideat: is autem impoſterum juris dicundi poteſtate careat. Cùm perduellium liberi ſupplices, liberalitatem Suæ Majeſtatis imploraſſent, determinandum quid ex bonis damnatorum ſperare, & obtinere debeant. In religionis negotio utroſque Catholicos & Evangelicos petere, ea ſibi concedi, quæ Regium inaugurationis Diploma dudum tribuerit. Repoſitum illis fuit, jam tum Status & Ordines ex Auguſtiſſimi Cæſaris ore coram intellexiſſe, quòd hactenus conceſſis acquieſcere poſſent, deberentque: Id etiam omnino facturi, ſi integro animo ſecum expenderent, quæ quan-

taque à Clementia Domini ſui impetraſſent, quam verò tenuis momenti ſint, hac vice negata & dilata. Comitia in annum proximum indicenda luculentiore auſpicio reſumi poſſe, ſi præſentia ſine mora juſtum finem ſolidumque habeant. Nunquam ſanè contingere eam temporum felicitatem, ut omnia, quæ præ manibus ſunt negotia, ſimul & ſemel abſolvi queant. Rerum civilium gnaros compertum habere, quod quæ in tempus ſæpe remittantur, deinde tum commodius, tum felicius terminari. Itaque perſuaſi ſint Status & Ordines, citra ambignitatem cuncta impletum iri abunde, quæ hactenus indulgere Suæ Majeſtati placuit. Sat ſuperque declaratum, quam prona voluntate Cæſ. Regiaque Majeſtas incluti Regni utilitatibus & decori conſultum cupiat. Idcirco nunc una cum Croatiæ Ordinibus ſerio ſatagant, ut confectioni Articulorum Comitialium acriter incumbentes, conſilijs & negotijs ultimam manum omnimodè imponat.

Sacra verò religionis, Evangelicos anxios ambiguoſque habuerunt, qui poſt tot verborum prælia pertinaciores, plurimos è Catholicorum Ordine moverunt, ne ipſorum votis ac deſiderijs uſitatata contradicendi conſtantia, amplius obviam irent. Acrius nunc rem ſuam acturi, Au-

guſtam

guſtam Imperatricem die VIII. Decemb. pridie ſcilicet Ejuſdem inaugurationis, ſupplici libello, & blandimentis ex genio temporis compoſitis, aggreſſi ſunt: ut nempe gratiæ Regiæ primitijs, quas Pannones univerſi à Suæ Majeſtatis indole benefica expectarent, & ſibi pollicerentur, hoc rerum cardine Evangelicos omnino oppreſſos & calamitoſos, in Regni primordio recrearet, bearetque. Non humanitatis minus quam Majeſtatis officium fore, ipſo miſerabilis fortunæ favore commendatis ſubvenire. Tum Cæſaream Majeſtatem, multiplici veniæ & reverentiæ præfatione, ſexta vice ſupplices, adiverunt, lamentabiliter exponentes: quod ſpe data freti, ijs tamen hactenus potiri nequiverint, quæ expectationi ſuæ in benigno Regio Diplomate ac legibus Regni fundatæ, ſatisfacere valerent. Quippe non reddi illis templa erepta, nec eorundem miniſtros; Catholicos cuncta manere, una cum acceſſorijs eorundem, Scholis, Collegijs, Xenodochijs & provenibus. Permiſſam Evangelicis templa fabricandi flebilem gratiam, novæ quaſi conceſſionis faciem præferre, tanquam nullis antehac juribus Regni gaviſi eſſent. Adeo periculi plenum, antiquis & ſolidioribus repudiatis rationibus, lubrica & recenti, ſed parciore nimis licentia niti. Non capere bina per Comi-

tatus templa tot hominum millia; Attamen terna quandoque uni Catholicorum Sacerdoti data eſſe, qui emolumentis ſolum inhians, cultum divinum ſuſque deque habeat. Quis verò iniquitatem non deprehendat, quod in vicem centenorū ſæpe templorum,quæ ipſis in aliquibus Comitatibus extorta ſint, binis tantum, ijſque ſumptibus proprijs extruendis, damnum perpeſſum rependatur. Sibi antiqua non niſi vendicantibus jura, nova omnia merito ſuſpecta eſſe. Nullam antehac territorij Dominis (qui terreſtres dicuntur) in Religionis cultum, & ſubditorum conſcientias poteſtatem, vel mutationis arbitrium fuiſſe: nunc miſeræ plebis fidem Procerum libidini mancipari, & patriæ, credendiq; de ſacris libertati, compedes manifeſtè injici.

Catholici & Clerus præſertim, ejuſcemodi poſtulatis antiqua ſimultate, & ſolito æmulatu repugnabant. Fruſtra ajebant, legum colore adverſarios ſe tueri; illas in exitium Catholicæ Eccleſiæ valere, aut ijs ſuccenturiari non poſſe; niſi prius jura, de prohibita rerum ſacrarum blenatione omnium gentium conſenſu ſancita, & uſu quoque à Barbaris & Turcis frequentata, ipſi aboleverint. Diploma etiam Regium irrito connatu tam magnificè obtendi, utpotè nihil novi Evangelicis tribuens, ſed prius occupata eodem titulo illis reliquens,

quens,qui invaſionis anſam ſuppeditaverat. Quod verò ab initio invalidum, id ex ipſarum Legum diſpoſitione, ullo temporis tractu ſanari haud potuiſſe; quin ſemper vitium primævæ, ac ut plurimum violentæ detentionis, rem comitaretur. Illum ſanè non poſſe damnum perpeſſum queri, qui Patrefamilias fortunis ſuis ejecto, alienum prædium, haud alia fide, ac quæ eorum jure Romano eſſe dicitur, qui pro poſſeſſore poſſident, longo quamvis tempore occupavit & obtinuit: Deinde verò Domino poſtliminio redeunti, & res ſuas repetenti, quod antea ſuum erat, reſtituit. Incommodum equidem eſſe, bonis occupatis cedere & exeſſe, perinde tamen ſanctæ congruum juſtitiæ. Ad nauſeam uſque dictum eſſe, Clerum perpetuo contradixiſſe ijs, quæ Comitiorum ſtatuta Evangelicis indulſerint: More autem Pannonum patrio, legem univerſalem, firmam & ſtabilem, haud aliter condi poſſe, quam omnium Statuum & Ordinum unanimi conſpirante conſenſu. Quomodo igitur legis vim obtineat,quod Clerus, prima & potior Comitiorum portio, improbaverit? Nunc poſtquam templa eorumque avitæ dotes, fructus & proventus, à Catholicis fundatoribus proficiſcentes, ad priſcam naturam & conditionem redierint: Sperare Clerum à Cæſareæ Regiæque Majeſtatis

æquiſſimo judicio, ne cogantur Eccleſiæ patrimonia ſibi paſſim erepta,& recenter per juris juſtitiæq; viam recepta, rurſum alijs ad novam profanationem reddere. Ædificata verò in alieno ſolo Evangelicorum ſumptibus nova templa, ſoli Dominis ceſſiſſe non tantùm; ſed præmonitos ut abſtinerent, nunc repetere non poſſe, quod Catholico ritui initiata ſint. Aliàs etiam abundè oſtenſum, quod Evangelici in ulteriore Hungaria, pluribus templis, quam Catholici utantur, fruantur, quam quorum numerum in ditione inferiori Catholicis objectant. Precandam eſſe Modeſtiam, ut rebus ſuis contenti ſint impoſterum. Si novum & peregrinum illis ſit, publicum religionis cultum in Dominorum territorij poteſtate eſſe, Germanos conſulant, quorum conſilijs ut plurimum reguntur; Axioma experturi, quod illi religionem regionis appendicem, legum ſuarum & Conſtitutionum Imperij, tum pacis Veſtphalicæ cumulo, aſſerant & evincant.

Durabant inter ſuſpectos ſuſpicanteſque diſſidia, neque ſine arduo labore Evangelicis perſuaſum, ut communi Ordinum còncilio intereſſe vellent, neque ut aliàs repudiata patriæ conſulendi, & rerum civilium cura, ſe omnino ſubducerent. Exhauſtus jam erat querimoniarum & libellorum numerus,

merus, qui ſub Dupplicarum & Triplicarum receptis vocabulis, in Hungariæ Comitijs frequentatur. Proinde Sac. Cæſ. Regiaq; Majeſtas, ne extremum quoque Clementiæ luculentum ſignum amplius deſideraretur; Declaratione per Palatinum Comitem facta: Evangelij præconibus ſeditioſarum concionum alioquin ſuſpectis, reditum liberum, ſcholas aliaque ad ritum profeſſionis Auguſtanæ largita: De bonorum Fiſco addictorum reſtitutione, liberalius ſtatuit; Præſidium quoque Fiſci Magnatibus Regni impoſterum addixit: quæ plenius apertiuſque ex ipſis Articulorum tabulis, ſynoptice in calce ſubjectis pateſcunt. Incluti Regni Status & Ordines igitur, quæ hactenus rogata, & Cæſ. Regiæque Majeſtatis beneplacito ſtatuta, in peculiarem conditionum ſive Articulorum codicillum, ex more uſitato redegerunt, Regia authoritate roborandum. Inter unanimes circa ea, quæ civilem Regni fortunam ſpectant, recrudeſcebat tamen ſacrum illud ſemperque lugendum animorum divortium. Hinc & ClerusCatholicus, & Auguſtanæ Helveticæque profeſſionis ſectatores, uno ore, diverſis ſenſibus Proteſtantium partes amplexi, Regni Palatinum aggredi, ſtatutis de rebus ſacris contradicere, obluctari, improbare, teſtimonium diſſenſus inſtanter petere, exigere. Pariter

riter Cardinalis Bonviſius Sedis Apoſtolicæ Nuntius codicillo porrecto gravabatur, Novitiæ doctrinæ nimia in fraudem Catholicorum cedi, ſe integra & illibata Eccleſiæ Catholicæ jura, ſervata velle, Summi Pontificis nomine. Venerat jam xxix. Decembris dies finem tædioſis tractatibus factura, ſed ancipiti fermè ſpe, annon novi animorum procellæ, publicæ ſalutis navim, è portu propulſam, alti maris ludibrio denuò exponerent. Interea verò, ubi Sac. Cæſ. Majeſtas Regni Palatinum Comitem Paulum Eſterhaſium, in ſanctius Conſilium cooptatum, & Comitem Nicolaum Draſcovicium Judicem Regiæ Pannonum Curiæ ordinatum; ſolita jurisjurandi formula adſtrinxiſſet: Statuum & Ordinum omnium claſſes in Aula congregabantur. Deinde Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtati in ſolio ſublimi, cunctorum nomine Archiepiſcopus Colocenſis gratias ſubmiſsè egit, expertæ Regiæ Clementiæ, quam omnes & ſinguli deprædicarent. Cumulata tot annis negotia, arduam rerum molem explicatu difficilem, diuturniora reddidiſſe Comitia: Se cum civibus Hungaris, æterna celebraturum laudis memoria, quod Regia Majeſtas prolixiores tractatuum moleſtias, Imperatoria magnanimitate, ferre ac ſuperare dignata eſſet. Univerſos & ſingulos nunc ſupplices rogare, ut ſtatutos

Articulos Sua Majeſtas benigno & ſolenni aſſenſu ratos firmoſque eſſe juberet.

Cæſ. Regiaque Majeſtas, codicillo è manibus Archiepiſcopi humaniter recepto, ut ſolet, facundè reſpondit: Se operam daturum, ut quæ ad publicæ rei incolumitatem felicitatemque pertinent, Regno & Statibus ſibi amantiſſimis, abundè contribuat. Exhortatus eoſdem, ut impoſterum concordes agerent, ſincerus patriæ tranquillitatis amor pectora ipſorum inſideret. Se abſentem uti præſentem, uiverſos & ſingulos fideles Regni cives, Cæſarea Regiaque gratia & beneficijs complexurum. Atque ſic antequam Concio ſolveretur, ad venerabundum manus oſculum cuncti admittebantur. Altera die cum omnium Ordinum delecti, fauſta feliciaque Cæſari & Auguſtæ comprecati eſſent, iter Viennam cœptum. Ipſos Articulos, moroſum illum difficilemque partum, in compendium redactos, Lector Amice, Tibi trado, ut ſumma rerum capita percenſens, ritè dijudices, nihil ex ijs, quæ ad tranquillitatem Pannoniæ conciliandam idonea ſunt, Comitiorum tempore omiſſa, neglecta, vel civiliter poſtulantibus negata fuiſſe. Leges pacis cum Ottomano poſtrema vice percuſſæ, licet in Curia Ordinum Regni publici juris ſint factæ, hic non attexo; ne molem voluminis ambi-

tioſè conſarcinare videar. Si cum bono Homero alicubi dormitavi, & tu bonus æquuſq; es, veniam apud te Lector merebor, cum memineris me muneris ratione negotijs obrutum; nullo ſcripturiendi pruritu, ſed mandati neceſſitate compulſum, ad Comitiologiæ hujus recenſionem acceſſiſſe.

Synopſis Articulorum, qui in Comitijs Regni Hungariæ Sempronij conditi fuerunt. Anno M. DC. LXXX.I.

I. Siquidem in primo Comitiorum ingreſſu ante alios tractatus Comes Paulus Eſterhazy de Galantha in Regni Palatinum electus, & in ſublimi hoc Magiſtratu à Sac. Cæſ. Regiaque Majeſtate confirmatus fuit: Status & Ordines Hungariæ humillimè confidunt, quod Sua Majeſtas eundem Palatinum fidelem ſervum ſuum, in priſtina juriſdictione & authoritate Palatinali, juxta leges olim & recenter latas, atque hic renovatas, benignè ſit conſervatura: ac de ſalario quoque ejuſdem, ſecundùm conventionem cum ipſo jam initam, clementer diſpoſitura.

II. Per hanc Palatini creationem, Gubernium & Locumtenentia, cum utriuſque ſigillis & mandatis

datis à tempore electionis Palatini datis, impoſterum ſublata ſunt. Fatis functo Palatino, ſtatutum anni 1608. obſervabitur.

III. Auguſtæ Reginæ nuper coronatæ, Status congratulabundi, à ſingulis per Regnum portis non dediticijs, ſingulos florenos (Dediticijs medium ſolventibus) pro munere, duobus in terminis ſolvendos, humillimè offerunt.

IV. Benignè annuente Sua Majeſtate concluſum eſt, ut pax cum Turcis ac omnia negotia Hungarica, cum conſilio Regni tractentur & concludantur, & Pacificationis conditiones ſolenniter per Comitatus publicentur. Deinde ut Reſidenti Cæſareo in Porta Ottomanica conſtituto, tum Legatis illuc deſtinatis, Hungariæ indigena adjungatur, cum æquali in negotijs patriæ tractandi autoritate: renovatis eum in finem priſcis legibus.

V. Juxta benignam Suæ Majeſtatis Reſolutionem decretum eſt, ut Pannonius miles, ſecundùm Artic. 3. anni 1655. & numerum ibi expreſſum, collectus, in confinia Regni primo quoquo tempore reducatur, præcipuè fines Uyvarino oppoſitos tuiturus. Ad prohibendas etiam Turcarum Varadinenſium excurſiones, ex Conſilio Hungarico, limitibus iſtarum partium ſufficiente nativo milite providendum. Stipendia hiſce, tum Croa-

tiæ Banalibus copijs, & ſpeculatoribus ordinarijs, non ſolùm ex proventibus Regni, ſed ex contributionibus etiam vicinarum Suæ Majeſtatis provinciarum, more antiquitus conſueto, præbeantur. Humillimas etiam gratias Suæ Majeſtati agunt Status & Ordines, quod in ſe receperit, ſubſidia & auxilia, Summi Pontificis, S. Romani Imperij, ac Hiſpanarum Regis Catholici procurandi curam: Nulli dubitantes, quod eadem, de neceſſaria reſtauratione, & munitione dictis Confinijs paterna ſollicitudine proſpicere dignabitur.

VI. In partibus Regni Trans-Danubianis, Nitria aliaque loca adverſus Turcas & ſecuritatem Montanarum civitatum munienda: prævia tamèn Conſilij Bellici, & Comitis Palatini unanimi diſpoſitione.

VII. Gratuiti labores juxta Articulos Regni exigantur, & locis deſtinatis applicati, ſtatis ſuis temporibus adminiſtrentur: Hiſce motibus autem introducti abuſus tollantur. Quoniam verò adverſo elapſi temporis fato, varia præſidiorum loca vel Turcica vi occupata, vel ruinæ obnoxia reperiuntur; ideo dicti gratuiti labores, qui ejuſmodi amiſſis dicati erant, ad aliorum reparationem confiniorum; hic ſpeciatim limitatorum applicandi ſunt. In ſuperiore autem Hungaria Generalis Du-

ctor

ctor una cum tredecim Comitatuum Delectis, gratuitos labores pro cujuſvis præſidij neceſſitate diſponet.

VIII. Licet Regnicolæ omnimodam militis peregrini eductionem non immeritò deſiderare poſſent, atque ut ea quamprimùm fiat Regia Majeſtas benignè conſenſerit: Nunc verò propter inteſtinos motus durantes, hoc tutamine Regnum privare inconſultum ſit; dictus miles ſine moleſtia Pannonum proprio ære vivat: Impoſterum verò ex mente legum patriæ, citra Regni conſenſum non admittetur.

IX. Clementer annuente Regia Majeſtate concluſum eſt, ut miles Germanus per hoſce motus in Arcibus Regnicolarum, nec non liberis & montanis Civitatibus præſidiarius, quamprimùm cum reſtitutione armorum & munitionum ablatarum, ex mutuo Palatini & Conſilij Bellici aſſenſu, educatur.

X. Leges de prærogativa Nobilium, & libertatibus Regni olim & recenter conditæ, Diplomateque Regio firmatæ, à Regia Majeſtate renovantur & roborantur; abolitis & irritatis omnibus, quæcunque hiſce revolutionibus in contrarium facta ſunt, nullo ſcilicet tempore in exemplum valituris.

 XI. Quo-

XI. Quoad bona per Fiſcum occupata, quidquid læſi jure prætendere poſſunt, id Sua Majeſtas per Commiſſarios indigenas, citra tamen diſcuſſionem caſuum notoriorum, illis aſſignare dignabitur. Bona verò reſtitui juſſa, & nondum reſtituta, ſine cunctatione una cum litterarijs inſtrumentis reddantur. Deinde bona per Fiſci adminiſtros privata autoritate occupata, vel illegitime translata, legitimis poſſeſſoribus cum plenaria ſatisfactione reddi debent. Tum etiam bona quæ hiſce motibus, privati quicunq; ſibi captarunt, ipſo facto quovis modo dominis reſtituantur. Similiter literæ Reverſales, Contractus, fidejuſſiones, ceſſioneſq; bonorum continentes, ſi contra leges Regni extortæ ſint, caſſæ & irritæ declarantur. Circa reliqua per Fiſcum alienata, ſupplicant Status & Ordines, ut damnum paſſis prætendentibus ad humilimas preces, gratiam Sua Majeſtas Cæſaream & Regiam illis impertiri dignetur. Pro Commiſſarijs eum in finem ſupradictis, certi ex Ordinum numero deſignantur.

XII. Ad ſubmiſſas Hungariæ civium preces Repartitionis & Acciſarum onera, planè tolluntur. Ijque his ac ſimilibus onerum impoſitionibus, nec gratuitis militum hoſpitationibus gravandi erunt.

XIII. Camera Hungarica, illi quæ in Aula

Suæ

Suæ Majeſtatis eſt, non erit dependenter obnoxia, inter utramq; verò ſit maneatque reciproca intelligentia; Abuſus qui irrepſerunt, tollantur. Extranei Officiales imò & indigenæ ſuperflui ut amoveantur, ob ipſius Fiſci emolumentum Status & Ordines humillime rogant.

XIV. Cùm durantibus hiſce revolutionibus, contra leges Regij, Theſaurarij ſive Cameræ Præſidis officium, Eccleſiaſtico homini collatum ſit: Clementer annuit Sua Majeſtas, ut ſtantibus Comitijs pro munere hoc indigena ſæcularis de patria bene meritus denominetur, qui locum hodierni Præſidis ſubeat. Impoſterum verò Eccleſiaſtici ab hoc officio excluſi ſunto.

XV. Media Triceſima & certum vectigal ſalis, in ſolutionem indigenarum militum, uſque ad futura Comitia offertur.

XVI. Quoniam de mediæ Triceſimæ vectigali, ab anno 1649. uſque in præſens tempus, in militis limitanei ſtipendium deſtinato, vix aliqui Perceptores rationes reddiderunt: ab illis igitur eorumque hæredibus ejuſmodi rationes ſtricte exigantur.

XVII. Certum annonæ ſubſidium à ſingulis portis pendendum, atque ad vicinas domos annonarias,

narias, vel propinquiora præſidia ſuppeditandum, ſponte offerunt Regnicolæ.

XVIII. Cum præter aliàs patriæ calamitates ex confinianiorum militum ſicut & liberorum Haydonum laſcivia, multiplicem ſui oppreſſionem extorſiones, & injurias Regnicolæ tolerare debuerint: decretum eſt, ut renovatis priorum annorum conſtitutionibus ſuperinde conditis, vel ab ipſis Capitaneis, vel ſi illi participes ſint, per Comitem Regni Palatinum, excedentes juxta delicti qualitatem ſevere caſtigentur.

XIX. Nobiles in confinijs degentes, per Capitaneos & Officiales confiniorum, in ſuis juribus & libertatibus non ſunt moleſtandi.

XX. Exactiones vectigalium omnis generis penſitationum per Officiales bellicos utriuſque nationis hinc inde per vias publicas, & in pontibus illegitime uſurpatæ, ſimpliciter tolluntur, pœna tranſgreſſoribus præſtituta.

XXI. In ponte Poſonienſi minoris Danubij, telonium à Regnicolis eorumque ſervis tum colonis, in ipſorum negotijs proficiſcentibus, non exigitor.

XXII. Siquidem miles extraneus Regnicolas miſeramque plebem, varijs injuriarum & oppreſſionum generibus moleſtaverit, in præſidijs

etiam

etiam macella, & tabernas exercitandi jus uſurpaverit, hoſpitia pro lubitu occupaverit; ad refrænandam ejuſmodi licentiam cum Clementiſſimo Cæſareæ Majeſtatis aſſenſu, hi exceſſus ſevere inhibentur, tranſgreſſores autem caſtigabuntur à ſuis Officialibus cum damni dati reſtitutione, vel ſi complices hi etiam aut negligentes reperiantur, per Comitem Regni Palatinum, adhibendo jure militari, utriuſque Nationis judices.

XXIII. Pro complanandis limitum controverſijs, quæ Hungariæ ac Croatiæ cum vicinis Regnis ac Provincijs intercedunt, certi nominantur Commiſſarij.

XXIV. Poſtquam annuente Clementer Sua Majeſtate Dominus Georgius Secheny, Archiepiſcopus Colocenſis, ex ſingulari ſuo erga patriam zelo, arcem Luiblio cum 13. oppidis Scepuſienſibus, proprio ære à Polonis redempturum ſe obtulerit: Eidem pro hac liberalitate Status & Ordines debitas referunt gratias, & in eum finem ad Regem & Remp. Poloniæ cæteros Commiſſarios expediendos denominant, firmiter confidentes, quod idem Dominus Archiepiſcopus juxta oblationem ſuam, pro itineris expenſis decem millium florenorum ſummam Comiti Palatino ſit conſignaturus.

XXV. Quia propter bonum pacis tranquilli-

tatemq; Regni publicam in negotio Religionis Sua Majeſtas ſeſe benigne reſolvere dignata eſt : hiſce Articulis etiam id inſeritur. Ac inprimis quidem cum liberum Religionis exercitium, jam ante anno 1606. vigore pacificationis Viennenſis conceſſum, his motibus autem à parte nonnullorum interturbatum fuerit : Ideò confirmato hoc loci Artic. I. dictæ pacificationis, idem exercitium omnibus & ubiq; per Regnum (ſalvo tamen Dominorum Terreſtrium jure) juxta Artic. I. Anni 1608. liberum permittitur; ac Prædicantibus quoque, ſcholarum Magiſtris, aliàs vel proſcriptis, vel propter certas Reverſales, munia ſuæ profeſſionis exercere non valentibus, liber in Regnum reditus, liberaq; Religionis ſuæ profeſſio, & exercitium, caſſatis etiam ipſorum Reverſalibus conceditur; & nullus Regnicolarum in libero ſuæ religionis exercitio à modo impoſterum, quoquo modo turbetur. Sed neque Auguſtanæ, vel Helveticæ Confeſſioni addicti, ad Cæremonias ſibi contrarias compellantur.

XXVI. Ad hæc templa quoq; per Auguſtanæ, & Helveticæ Confeſſioni addictos ædificata, & ritu Catholico necdum reconciliata, per certos Commiſſarios eiſdem aſſignanda; in alijs verò locis juxta benignam Suæ Majeſtatis reſolutionem, loca pro ædifi-

ædificandis templis, ſcholis & Parochijs erigendis, pro commoditate eorundem Auguſtanæ, & Helveticæ Confeſſioni addictorum, per eoſdem Commiſſarios determinanda, in omnibus Regni Comitatibus ordine deſcripto decernuntur. In liberis verò ac Montanis, tum ſuperioris Hungariæ Civitatibus, ſimiliter loca pro ædificandis templis, ſcholis, ac Parochijs aſſignanda conceduntur. Templa demum in quorum actuali poſſeſſione ijdem Auguſtanæ, & Helveticæ Confeſſioni addicti, de facto ſunt, modo prævio præ manibus eorundem, una cum Parochijs & ſcholis proventibuſq; eorundem, propter bonum pacis, ut nimirum quiete & pacifice vivant, relinquuntur, uſu ſepulturæ, & campanarum, pro Catholicis ibidem degentibus æque ac ipſis, liberè relicto. Interea verò nec Catholici, Miniſtris Auguſtanæ, & Helveticæ Confeſſioni addictis, nec verò horum ſequaces Plebanis Catholicis, quicquam ſolvere obligentur. Omnibus porrò Magnatibus & Nobilibus in Regno degentibus, in Arcibus & ſolitis Reſidentijs ſuis, pro ritu cujuſque Profeſſionis, Oratoria & Sacella ædificare, & dotare liberum ſit. Poſt hac verò nullæ templorum ſcholarumq; & Parochiarum occupationes, vel exercitij turbationes utrinq; fiant. Per hancq; Articularem Conceſſionem ijſdem Auguſtanæ, & Helveti-

cæ Confeſſioni addictis, ulterior prætenſionum ſuarum via in futuris Comitijs inſtantias ſuas promovendi (non obſtantibus Cleri & aliorum Sæcularium Catholicorum contradictionibus) minime præcludatur. Salvis ſemper eatenus legibus Regni, Diplomate Regio firmatis.

XXVII. Univerſa officia & beneficia Eccleſiaſtica, & Præfecturæ Confiniorum, in Hungaria, & Croatia, Indigenis Regni bene meritis conferantur.

XXVIII. Judicia tum majora quam minora, & extraordinaria, Appellationumq; reviſiones ſtatis ſuis temporibus per Suam Majeſtatem, vel illa abſente aut impedita, cum conſenſu Ejusdem in Hungaria per Palatinum, in Croatia verò, per Comitem Banum ſuo modo promulgata celebrentur.

XXIX. Anni hodiernorum motuum, ab 1670. computandi, à legali præſcriptione eximuntur.

XXX. Mandata illegitima Præceptoria, Inhibitoria, Dilatoria & Re executoria, non expediantur, expeditis non obtemperandum à Judicibus.

XXXI. Contra Turbatores, & non admiſſores judiciariarum executionum, ac bonorum judicialiter apprehenſorum reoccupatores, pœna cum proceſſu ſtatuitur; ut potentiorũ judicium executiones non admittentes vel turbantes, licentia coërceatur.

XXXII.

XXXII. Magiſtri Protonotarij in diviſione bonorum in uno Comitatu exiſtentium, non procedant, tum in præfinitionibus, & extenſionibus terminorum certum modum obſervent.

XXXIII. Bona pignoraticia, & liquida debita ad ſummam florenorum ſex millium, in ſedibus Judiciarijs Comitatuum acquiri poſſunt.

XXXIV. Judicibus Tabulæ Regiæ conſuetum ſalarium per Cameram ſine difficili mora exſolvendum.

XXXV. Comes Chriſtophorus Erdődy in Conſervatorem Sacræ Regni Coronæ ſuſcipitur.

XXXVI. Pro futura Conſervatorum Sacræ Coronæ, ac militum ejus cuſtodum ſolutione, à ſingulis portis per Regnum ſinguli floreni exiguntur.

XXXVII. Fiſcus Regius bona reſq; mobiles quorumcunq; Regnicolarum, titulo caducitatis, vel criminis patrati, ad ſe devoluta, non propria autoritate, ſed ſervato juris ordine occupet. Judicia verò à Fiſci officialibus frequentari cœpta tolluntur.

XXXVIII. Inſtrumenta & documenta ſcripturarum per Fiſcum Regium, una cum bonis, legitimis reſtituenda ſunt Dominis.

XXXIX. Juſſu Regio decretum eſt, ut bona mobilia Regnicolarum per Cameræ Officiales titu-

lo confiſcationis in proprios uſus diſtracta, ſi tales in Regno exiſtunt, per ipſos damnum paſſos aut eorum hæredes ac ſucceſſores, rurſum recuperari & poſſeſſio arripi queat; more Pannoniæ uſitato.

XL. Judicem Curiæ Regiæ ut Sua Majeſtas in Superiore Hungaria conſtituat, Status & Ordines ſupplices petunt: tum ut in partibus cis-Danubianis etiam unus Magiſter Protonotarius reſideat.

XLI. Liberæ Regiæq; ac Montanæ Civitates quoad electionem Magiſtratûs ſui oppidani, atq; jure patronatûs, tum tabernas vinarias privative exercendi, cæteriſq; Privilegijs & immunitatibus frui debent, neq; in iis aut per Cameram Hungaricam, aut belli Officiales deinceps turbandæ.

XLII. Civitates & oppida privilegiata, nobiles apud ſe habitantes juxta legum priſcarum ſenſum, ſuis juribus uti ſine turbatione hactenus uſurpata, permittendo.

XLIII. Vecturæ munitionum Civitatibus liberis, ut olim ita & impoſterum incumbent, introductis abuſibus, ſublatis.

XLIV. Triceſimatorum, Decimatorum, Telonariorum exceſſus, vel maximè his motibus perpetrati, atque contra prærogativam Nobilitatis, ſimul ac Vectigal Regium introducti, abrogantur. Telonijs etiam ſiccis alijſq; noviter inſtitutis, nunc

verò

verò exſtinctis, VectigalRegium in antiquum ſuum Statum legibus Regni conformem, reducendum.

XLV. De illimitata Vinorum Hungariæ in vicinis Auſtriæ Provincijs diſtractione, & maturando deſuper reſponſo, iteratæ preces inſtituuntur.

XLVI. Caſu quo imminente cum Turca pacis termino, eadem pax commode ulterius etiam extendi, aut ſine notabili Regni ruina honeſte iniri, & concludi non poſſet, Regnicolæ aperti duntaxat belli tempore, generaliter ſe, & perſonaliter inſurrecturos offerunt, nimirum ut omnes & ſinguli Regnicolæ, cujus cunq; tandem ſint conditionis, & dignitatis, ultra perſonalem ipſorum inſurrectionem, à ſingulis XX. domibus non dedicitijs, unũ equitem proprijs ſumptibus, ex parte verò ſubditorum unum peditem bene armis inſtructos in caſtris ſtatuere, à dedititijs autem XL. domibus unum equitem, & alterum peditem pari modo computandis, conducere, ac alere teneantur. Ad hujusmodi expeditionem, univerſi etiam Prælati, Magnates, & Nobiles poſſeſſionati omninò ſint obligati. Capitula etiam & Conventus, Monaſteria & Moniales, Abbatiæ & Præpoſituræ Capitulis non incorporatæ, prout & Cameræ Montanæ, inſtar aliorum Nobilium poſſeſſionatorum ab omnibus bonis ſuis, modo præmiſſo equites & pedites non

tan-

tantùm, ſed unum etiam ex ſuis ſacris initiatum pro divinis peragendis, ſubmittere & ſuſtentare debeant. Liberæ & Montanæ civitates quæ per Comitatus juribus poſſeſſionarijs gaudent, ad inſtar Nobilium à ſingulis XX. domibus in Comitatu poſſeſſis, & pedites ſubminiſtrent. Cives quoque & alij quicunq; etiam extranei, bona poſſidentes, pari modo à ſingulis XX. domibus, ſingulos equites expediant. Hæc ulterius amplificantur, pœna in refractarios ſevera ſancita.

XLVII. Et quia præter præſcriptam univerſalis belli neceſſitatem, alia etiam huic Regno incommoda & pericula ſubinde imminere in comperto eſt: ideo Status & Ordines in eo quoq; caſu, ſemper tamen per comitem Palatinum ex pleno Conſilio Hungarico dignoſcendo, pro particulari inſurrectione ſeſe offerunt juxta modũ expreſſum.

XLVIII. Quoad loca ſeu colonos, ultro ſeſe Turcis ſubijcientes, rigoroſius quam antea animadvertendum.

XLIX. Ad reprimendas crebriores hoſtium excurſiones, ſedes Generalatus Confiniorum Uyvarino oppoſitorum, quantocius determinanda.

L. Sedes Judiciariæ ſeu Congregationes Comitatus Strigonienſis in oppido Reukomarom celebrentur.

LI.

LI. Impoſterum unus Ablegatus cujuſcunq; ſit ſtatus, non niſi duorum Magnatorum pauperiorum, vel eorundem viduarum in Comitijs vices agere poſſe ſtatuitur.

LII. Poſſeſſores arcis Mukacz à quibuſvis violentijs Nobilitati inferendis abſtineant, & ratione bonorum legibus Regni ſubjaceant.

LIII. Humillimas Status & Ordines gratias referunt Suæ Majeſtati, quod ad ipſorum preces Comes Georgius Illieshazy, libertati ac in integrum reſtitutus ſit.

LIV. Cauſa Sabarienſium, aliorumq́; privatæ querelæ quomodo complanandæ hic explicatur.

LV. Secundum hunc Articulum Familia Bottiany erga Eörſeghienſes priore jure ſuo uti poteſt.

LVI. Officialium Ovarienſis Dominij exceſſus, ſub titulo juris gladij exerciti coërcentur.

LVII. Obſides liberæ Regiæq́; Civitatis Nagy Banienſis, Zathmarini præjudicioſè detenti, dimittuntur.

LVIII. Reſiduorum gravaminum complanatio, ad proxima Comitia Poſonij intra anni ſpatium indicenda, reijcitur.

LIX. Ex innata Suæ Majeſtatis Clementia ſtatuitur, ut omnes & ſinguli cives refractarij reſipiſcentes, qui intra ſpatium duorum menſium à pu-

blicatione præſentium ad debitum fidelitatis obſequium redierint, effectivam bonorum ſuorum in manibus Fiſci exiſtentium reſtitutionem, & vitæ gratiam ipſo facto conſequantur; Facinorum memoria æterna oblivione ſepulta, nec unquam in judicio vel extra noxæ futura.

LX. Oppidum Ruſzt à Sua Majeſtate libertate donatum, in numerum reliquarum civitatum, adeoq; ad publicos Regni Conſeſſus admittitur.

LXI. Portarum rectificatio, cum defalcatione deſolatorum, & combuſtorum locorum inſtituenda.

LXII. Poſtquam Sua Majeſtas Regium Bani officium Nicolao Comiti Erdődy in Croatia contulit, eadem benigniſſimè jubet, ut exauctoratus antehac Banalis miles, non ſolùm redintegretur, verùm etiam augeatur; & tum ipſi Comiti Bano, tum militi de infallibili annuo ſtipendio provideatur. Præſidia etiam Colapiana tormentis bellis munienda.

LXIII. De reſtitutione Valachorum Sclavorum & Prædauciorum, leges olim & nuper ſancitæ renovantur.

LXIV. Privilegia Valachorum in præjudicium Regni data, rurſum irrita & nulla pronuntiantur.

LXV. Valachi in poſſeſſione Oſeck commorantes, aliò translocentur.

LXVI.

LXVI. Regna Croatiæ & Sclavoniæ tempore majoris & minoris impetus hoſtilis, juxta leges & conſuetudines ſuas inſurgent. Atque eadem Regna in ſuis juribus ac privilegijs conſervabuntur.

LXVII. Subditi & Coloni fugitivi in confinijs non receptantor, ſed Dominis redduntor, pœna illis pecuniaria ex ſalarijs decerpenda, etiam præfinitur qui contrarium auſi ſint.

LXVIII. Si arx Sziſek Eccleſiæ, ac Capitulo Zagrabienſi reſtituetur ex Suæ Majeſtatis benigna declaratione, ſalva ſemper Jurisdictione Regni manente id futurum.

LXIX. Commercium boum diſtrahendorum ad portum Buccari, ab omni impedimento liberum maneat, & obventus inde Capitulo Zagrabienſi debiti integri ſint.

LXX. Quæ de collatione officiorum in confinijs, & incorporatione, ac reſtitutione colonorum Caprocenſium ſancita ſunt, confirmantur & declarantur.

LXXI. Bona Frangepanorum Fiſcalia tam maritima quam Croatica, ac alia intra fines Regni exiſtentia, à Sacra Corona & juribus Regni non avellantur, ſed legibus & oneribus Regni ſubjecta maneant.

LXVII. Miles Germanus juxta conditas etiam antehac leges ex arce Varaſdienſi educendus eſt.

LXXIII. Pratorum & fœni depaſtus in miſeræ plebis ruinam vergentes, Varaſdienſi & Caroloſtadienſi præſidijs inhibentur.

LXXIV. Militiæ in confinijs Præfecti, piſcaturis, venationibus, hortorumq; fructibus percipiendis omnino abſtineant. Similiter illi popinas vinarias aperire non auſint.

LXXV. Media Triceſima tum auctio ejuſdem, in Regno Croatiæ & Sclavoniæ pro milite Colapiano convertenda.

LXXVI. Magiſter Protonotarius Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ, non ſolùm in Comitijs, in Tabula Regia, verum etiam in cæteris judiciis ordinarijs & extraordinarijs, locum votum & Diarium, ad inſtar aliorum Protonotariorum habeat.

LXXVII. Non permittet Sua Majeſtas, ut deinceps à ſuis Officialibus, Capitaneis aut Generalibus Segnienſis Civitas in ſuis turbetur juribus & privilegijs, ſed omnes injurias & violentias, non ſolùm graviter inhibere, ſed & tranſgreſſores ſeverè puniri curabit.

LXXVIII. Tabernas vinarias, arteſq; mechanicas in præjudicium civitatum exercere, milites abſtinento.

LXXIX. Liberum ſit inter Status & Ordines, Regnaq; & Provincias Suæ Majeſtatis commercium, omneſq; pignorationes prohibentor.

LXXX. Demum Status & Ordines Sacræ Cæſ. Regiæque Majeſtatis Clementiam, & Articulorum confirmationem enixis precibus efflagitant. Ultimo loco Principum Sac. Imperij, deinde Comitum, Baronum, Dynaſtarum, nobiliumq; nomina & numerum texentes, qui in Regni Hungariæ Cives ultro adoptati, tum rogantes admiſſi ſunt.

FINIS.

SPECIAL
86-B
6339
GETTY CENTER LIBRARY